


668.

A4

EXERCITATIO JVRIS
DE
EXECVTORIBVS VLTIMARVM
VOLVNTATVM
P R A E S I D E
MARTINO GOTTLIEB PAVLI
1762, 1.
J. V. D. JVR. ET HIST. PROF. PVBL. ORD. ET ATHEN. INSPECT.
DIE XXII. JVNII A. R. S. MDCCCLXII
IN AVDTORIO MAXIMO
AD DISCEPTANDVM PROPOSITA

AB

ERNESTO GOTTLIEB BERNIS, GEDAN.
L. L. C.



G E D A N I
TYPIS THOMAE JOANNIS SCHREIBERI, SENATVS
ET ACADEM. GYMNASII TYPOGRAPHI.

EXERCITATIO IARIS
THEATRORIBAS AUTOMARUM
VOLANTATVM
MARTINO GOTTERE PAVI
IN AUDITORIO MAXIMO
AD DISCRETIANDAM PROPOSTA
ERNESTO GOTTERE BERNS, etiam
ET C.
GEDIANI
HES THOMAE IOANNI SCHILLERI, SENATORI
ET ACADEMI GYMNASI TUDICINA

INCLVTAE
REIPVBLCIAE GEDANENSIS
MAGNIFICO SENATVI

ILL VSTRI
PERMAGNIFICIS, MAGNIFICIS, GENEROSIS,
MAXIMEQVE STRENVIS

S. R. M.

B V R G G R A F I O
P R A E S I D I
V I C E - P R A E S I D I
P R A E C O N S V L I B V S
C O N S V L I B V S
S Y N D I C O

PATRIAEC PATRIBVS OPTIMIS

PRAENOBILISSIMIS,
CONSVL TISSIMIS, AMPLISSLIMIS
SPLENDIDISSIMI

PRIMARIAE CIVITATIS DICASTERII
MEMBRIS

SENIORI, CON-SENIORI
ASSESSORIBVSQVE

RELIQVIS

JVSTITIAE MODERATORIBVS GRAVISSIMIS.

VIRIS

VIRIS
SVMMVM REVERENDO
CONSULTISSIMO EXPERIENTISSIMO
EXCELLENTISSIMIS DOCTISSIMIS
AMPLISSIONI
PROFESSORVM COLLEGII
MEMBRIS
PRAECEPTORIBVS SVIS MAXIME COLENDIS;
PLVRIMVM REVERENDIS
AMPLISSIONIS DOCTISSIMIS
DOMINIS
PASTORI ATQVE DIACONIS
AD AEDEM S. PETRI ET PAVLI ATQVE ELISABETHAE
RERVM SACRARVM CVRATORIBVS
VENERANDIS
DOMINIS, MAECENATIBVS
PATRONIS ET FAVTORIBVS
OMNI QVA DECET PIETATE ET OBSERVANTIA
SVSPICIENDIS, COLENDIS,
DISSERTATIONEM HANC GRATO ET
SVBMISSO ANIMO OFFERT
HORVM OMNIVM

CVLTOR DEVINCTISSIMVS
ERNESTVS GOTTLIEB BERNIS.



Q. D. B. V.
EXERCITATIO JVRIS
DE
EXECVTORIBVS VLTIMARVM
VOLVNTATVM.

§. I.

Instituti Ratio.



extus Pomponius, JCtus, cui prope soli omneim,
quam habemus hodie, de succeſſione pruden-
tum apud Romanos notitiam debemus, quan-
do loco illo notissimo a) de Seruio Sulpi-
cio, JCtorum Romanorum facile principe, lo-
quitur, eum, refert, consuluisse aliquando de jure amici cu-
jusdam sui nomine Q. Mucium Scaeuolam, respondisse Mu-
cium more tunc temporis solito, Seruium vero, quamuis fe-
mel iterumque interrogarit Scaeuolam mentem tamen respon-
dentis Mucii plane non percepisse, eamque ob causam tandem
objur-

A

a) l. 2. §. 43. D. de O. J.

objurgatum esse ab Mucio his verbis: *Turpe est patricio, & nobili, & causas oranti, jus, in quo versamur, ignorare.* Haud equidem ignoro, olim jam jam Antonium Augustinum b) ex rationibus, quas hoc loco addere nolo, istam Pomponii narrationem valde dubiam reddidisse, praeterea hoc etiam scio, rationes illius tanti omnino esse momenti, vt ipse Euerardus Otto, nodum hunc soluere non adeo facile essem, pronunciarit c), quamuis ex altera parte, id quod tacere non debo, illiberali non minus, quam inutili ratione hanc historiam suspectam habuisse Augustinum existimat Cornelius van Bynkershoek d). Ceterum vero, siue vera sit haec Pomponii narratio, siue minus, id quod h. l. amplius curare nolo; hoc tamen, si verum amamus, nemo facile negabit, bene sapienterque dixisse Q. Mucium Seaeuolam: *Turpe est patricio, & nobili, & causas oranti, jus, in quo versamur, ignorare.* Neque hujus benedicti veritas ratione indigere videtur, aut disputatione longa, sentitur enim, vt, calegere ignemi, niuem esse albam, atque id genus alia plura, quorum nihil exquisitis rationibus confirmandum, tantum dixisse satis est & admonuisse. Seruus certe Sulpicius illius veritatem statim adeo exploratam hubuit, vt, hac Mucii objurgatione excitatus, ab eo tempore animum ad jurisprudentiam adpulerit, & in ea adeo profecerit, vt, juris ciuilis usum magnum fuisse apud Scaeuelas aliquos multos, artem illius autem in eo uno, judicet Cicero e). Atque utinam hoc benedictum, quod non magis olim, quam hodie longe verissimum est, his nostris temporibus, quemadmodum in animis multorum, sic etiam in usu versaretur, vt omnes, quos nascendi conditio in lucem reipublicae conspectumque aliquando venire jubet, ceterique omnes, qui prudentiae ciuili se consecrarunt, ex ea sententia omnem studiorum suoram rationem comparandam putarent. Utinam, qui jura tradunt & docent, non tam magnum

b) De Nominib. propr. Pandect. in not. pag. 20.

c) In Praefatione T.I.Thesauri Jur.

d) In Praeternis. ad l. 2. D. de O.J. ad §. 43. p.m. 54.

e) In Bruto Cap. 41.

gnum studium multamque operam in res obscuras atque difficiles, easdemque haud raro non necessarias & tales conferrent, quae in veri quidem investigatione versantur, quarum tamen studio juvenes a rebus gerendis abducuntur, e contrario vero eas res, quae vsu fori quotidiano frequentantur, juraque ista, quibus quotidie in ciuitate vtinur, non tam turpiter negligenter contemnerentque. Hoc si fieret, itaque opinione si effemus imbuti, non amplius adeo desiderarentur in rebus publicis nostris veri JCTi, id est, viri, qui, teste Cicerone f), legum & consuetudinis ejus, qua privati in ciuitate vtuntur, & ad respondendum, & ad agendum, & ad cauendum sunt periti, non amplius in scholis nostris juvenes tam parum ex iis, quae in vsu habemus, audirent, aut, cum in forum veniunt, putarent se in alium terrarum orbem esse delatos. In primis autem Juri nostro patrio Germanico manet illud inexorabile fatum, vt, quasi inglorius sit & inutilis prorsus omnis, qui in id insinuitur labor, turpiter id vulgo negligatur, cum tamen, si verum amamus, atque dicendum, quod res est, nulli satis erudit & veri esse videantur JCTi, quibus haec nostra ignota sunt. Incognita autem esse haec nostra JCTorum nostrorum quam plurimis, testatur, proh dolor, experientia quotidiana. Quis enim aut quotusquisque est, qui, vt alia taceam, quid sint, qui his nostris in terris aliisque in locis quam plurimis vsu fere quotidiano frequentantur, vltimarum voluntatum executores, quanta sit & quam late patens eorum potestas, quibusue limitibus circumscripta, quae qualiaque sint ista juris principia, ex quibus, quae hinc inde in vita ciuili de iis obvniunt quæstiones controuersæ, dijudicandæ sint & decidendæ, ex arte sciat atque intelligat. Neque cuiquam hujus ignorantiae causa potest esse obleura. Etenim, qui hodiem vel solus in scholis JCTorum regnat, Justinianus ignorat paene dixerim prorsus supremarum voluntatum executores. Fuerunt quidem jam inde a renatis litteris nonnulli viri docti, qui hanc Juris hodierni doctrinam utilissimam nobilissimamque, vel quasi aliud agendo, vel data opera & ex

A 2

instituto

f) De Orator. lib. I. cap. 48.

instituto singularibus libellis explicarunt. Ut enim Bartolos ceterosque omnes, in Jure nostro qui sancti veluti patres dicensi, taceam, Joannes Jacobus a Canibus, JCtus Patauinus haud incelebris, de vltimarum voluntatum executoribus singularem conscripsit & evulgauit libellum. Sed est ille libellus JCti Itali partus e saeculo XV. g) Joannis Oldendorpii de Executoribus vltimarum voluntatum opusculum, vix duabus constans plagulis, sicut magis accedit, quam reprimit h). Praeterea de eadem re singularem quondam conscripsit Dissertationem Academicam Wolfgang Adam Lauterbach i) atque sunt fortassis & alii, qui hanc juris hodierni doctrinam ex instituto tractarunt, quemadmodum scio Daudem Meuium, atque Samuelem Stryckium hinc inde vltimarum voluntatum executorum fecisse mentionem, ast nihil tamen secius utilissimam hanc doctrinam vel prorsus ignorant plororumque JCtorum nostrorum scholae, iisque omnes, qui supra vulgaria Juris compendia non sapient. Quae cum ita sint, haec de Executoribus vltimarum voluntatum doctrina, cuius usus his praefertim in terris tam frequens est & fere quotidianus, prae ceteris digna mihi visa est, in qua cum cura elaborarem, tentare, utrum ea in lucem posset proferri, & ita explanari, vt, quibus innixa sit principiis, quidque jura, quibus hodie vtimur, siue domestica sint, siue peregrina, ea in re vel velint fieri, vel vetent, constaret.

§ II.

Quid sint vltimarum voluntatum executores, quibusue variis significentur, ostenditur.

Placet autem, quoniam omnis disputatio de executoribus vltimarum voluntatum futura est, cuiusmodi institutio a defini-

g) Conf. Guido Panziollus de Claris Legum Interpretibus Lib. III. Cap. XXXVIII, p. 366. Ipse autem iste libellus Rolandini Bononiensis Floribus Vlt. Volunt. Spirae 1598. in 8vo recusis ad-

jectus est pag. 496 — 622.

h) Extat apud eundem Rolandum l. c. pag. 623 — 644.

i) De Executoribus Vlt. Volunt. Tubing. 1668 Conf. Vol. III. Dissert. Iurid. Tubing. N. VIII.

definitione proficiisci debet, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur, ante definire, quid sit testamenti executor. Is autem supremae dicitur voluntatis executor, cui testator, qui, quid post mortem suam fieri velit, modo legibus praescripto, ordinavit, id nominatim dedit negotii, ut hanc suam ultimam voluntatem adimpleat & exequatur. De his enim hoc loco nobis vnicce est fermo, ne, quae dicenda sunt, abhorreant ab usu nostro forensi. Dicuntur autem ejusmodi executores non tantum executores, vel testamentorum, vel ultimarum Voluntatum in genere, verum etiam distributores, dispensatores, diuines, procuratores, negotiorum gestores, commissarii, atque haud opus est, ut causam harum denominationum rationemque, quae liquet per se, indagem, multisque exponam verbis. Usus etiam introduxit, vt, compendio quodam loquendi, a nonnullis dicantur Testamentarii, quamuis perperam ita dicantur. Nam Testamentarius vel testamenti scriptor est, qui, dictante testatore, illud conficit k), vel etiam, qui falsum supponit testamentum l). Dicuntur porro etiam Fideicommissarii, haud incongrue quidem, sed memineris tamen, maximam esse differentiam inter istos fideicommissarios, de quibus agitur in Digestis & Codice m), ac hos nostros ultimarum voluntatum executores. Taceo Gardiani, vel Gardingi item Gardiatoris nomen, quo, olim frequenter, quam quidem hodie hi nostri executores insigniebantur, quodque nil aliud denotat, quam tumorem curatorem n), atque ad istas progredior denominaciones, quibus in lingua nostra patria hi executores insigniuntur. Dicuntur autem in monumentis medii aevi quam frequentissime Seelwarter, item Seelgeraeter o). Etenim per-

A 3

fusio

k) 1.9. §. 3 & 6. D. de Hered. In-
stit. I. I5. §. 6. D. de Lege Cornel.
de Falſi.

h. v. pag. 257, atque Joan. Co-
welli Institut. Jur. Anglican. Lib.
I. Tit. XIII. §. 2. pag. 28.

l) Cicero de Officiis Libr. III. cap.
18.

o) Vid. Christ. Gottl. Haltaus Glos-
sarium German. Medii aevi h. v.

m) Tit. de Fideicommissis.

pag. 1669 & 70.

n) V. Henr. Spelmanni Glossarium

suis ista de igne purgatorio legatis facile restinguendo Germanorum non minus, quam ceterorum Christianorum nimis credulos animos olim adeo occupauerat, vt nulla facile ipsis temporibus seriberetur vltima voluntas, in qua testator, *se pro remedio animae suae suorumque ejusmodi legata relinqueret, non profiteretur.* Dicebantur autem ejusmodi dispositio-nes, quae in remedium, refrigerium & salutem animae post mortem siebant, vt ea poenis purgatorii releuaretur, *Seelgeraete p).* Haud incongrue itaque ejusmodi oblationis testamentariae, pro remedio animae factae, constitutus executor vel curator *Seelgeraeter* dicebatur, vel *Seelwarter.* Diceban-tur porro a majoribus nostris isti vltimorum voluntatum executores: *Salmaenner*, ab *salen* vel *selen* & *Germanico Mann.* *Salen*, vel *Selen* autem idem est ac tradere, vnde die *Sal, Sale,* vel *Sele*, traditio fundi allodialis & proprietarii sollemniter facta in judicio per symbolum & cum cautione securitatis de evictione q). Est itaque *Salmann* vel *Salemann* vi vocis ille, qui bona defuncti illius heredibus legatariisue in testamento scriptis ita tradit, interque eos distribuit, vti testator praescripsit. Dicebantur praeterea olim quam frequentissime *Treuhaelter*, *Treubaender*, *Treutraeger*, quasi homines fidi, quibus aliquid exequendum committitur, aut delegatur tradendū, atque munus officium eorum *Treuhenderschaft*, *Treutraegerschaft* r). Tandem, vti olim apud maiores nostros, ita etiam hodie haud raro dicuntur *Ausrichter*, *Vollzieher*, & *Geschaefstiger*, quarum vocum & origo & signifi-catio haud obscura est, atque proinde nulla indiget interpreta-tione ulteriore.

§. III.

*Inquiritur in origines Executorum testamentariorum,
sed breuiter.*

Fuerunt olim, neque hodie fortassis desunt viri docti, qui

p) Vid. Haltaus l. c. h.v. pag. 1668. r) Vid. Haltaus l. c. h.v. pag. 1804.

q) Vid. Haltaus l.c.h.v. pag. 1543. s. 6.7.

VLTIMARVM VOLVNTATVM.

7

qui hos nostros vltimorum voluntatum executores Romanis
jam cognitos atque viu fori frequentatos fuisse existimant. Ne-
que hoc cuiquam facile videbitur mirum, in primis qui memi-
nerit, non desuisse olim, nec deesse hodie viros, ceteroquin
eruditos, qui ipsa adeo Feuda nostra a Romanis & ex Jure Ro-
manorum ciuili deriuant. Ut autem, qui ita de executoribus
fentiuunt, hujus suae sententiae saltim aliquam reddant causam
& rationem, Papinianum s) potissimum producunt atque
Africanum t) & Marcellum u) fortassis & alios, & ex
horum JCtorum fragmentis in Pandecten relatis id, quod vol-
lant, probare satagunt. Sed Jacobus jam jam Cujacius, qui
solus in Jure Ciuiti consil fine collega dici meretur, ad has
Bartoli doctrinas, & traditiones, quas plerasque in mores abi-
isse testatur, monuit, eas nulla lege certa esse subnixas, jura-
que nostra ciuilia nihil fere dare supremarum voluntatum exe-
cutoribus hodiernis, mores autem hodie nimium x). Tam-
etsi enim apud istos ante dictos JCtos Romanos, Papinianum
praeferunt, non nulla deprehendantur juris ciuilis deere-
ta, quae de vltimorum voluntatum executoribus loqui videan-
tur, isti tamen executores, ab his nostris hodiernis quam ma-
xime differunt. Nam, si quis testator apud Romanos vnum
vel plures scripsisset heredes, praeterea vero alumnis suis, vel
pauperibus alimenta legauerat, vnum ex heredibus, vel etiam
legatariis, jubebatur ut plurimum, ista legata, alumnis testa-
toris vel pauperibus relictis, praeccipere & praestare, distri-
buere, dispensare, qui proinde horum alimentorum perpe-
tuus erat erogator, atque praestationibus annuis, aut men-
struis, aut diurnis, prouti testator legauerat, illius volunta-
tem supremam executioni mandabat. Praeterea Jure Codicis

s) l. 8. l. 9. D. de Alim. vel Cibar.
legat.

legat. in Comment. ad libr. VIII.

Responsor. Papiniani Tom. IV.

t) l. 107. pr. D. de Legat. I.

Oper. pag. 1053. Edit. Parisin.

u) l. 17. D. de Legat II.

de anno 1614.

x) Ad l. 9. D. de Alim. vel Cibar.

cis y) & Nouellarum z) cautum est, vt, si quis pro redemtione captiuorum, vel alimentis pauperum hereditatem vel legatum sive semel, sive quotannis reliquerit, neque specialiter dixerit, per quem liberatio captiuorum fieri debeat, aut cuius loci pauperibus illa alimeta reliquerit, illius ciuitatis episcopus, in qua testator domicilium habuit, res istas legatas accipiat & pauperibus distribuat, aut pium illud opus perficiat. Atque hactenus jura ciuilia executorum faciunt mentionem, sed praeterea amplius quidquam de iis legibus istis proditum non est. Sed ab his executoribus quam maxime differunt ii, quibus nostris temporibus, hisque in terris ab testatoribus supra volunta tis executio injungitur. Raro hodie istud munus ab testatoribus committitur iis, qui in testamento heredes scripti, aut quibus legatum est relictum; committitur potius amicis, iisque, quorum fides integratatemque testator cognitam habet & perspectam, quosque certo seit, sine fraude expedituros esse omnia, quae in testamento suo scripsit, quaeque iis comisit negotia. Qui hodie vltimarum voluntatum executores scribuntur, non alimenta tantum pauperibus, aut legata piis causis relicta, praefstant, id quod velynice olim executoribus apud Romanos committebatur negotium, sed regulariter totius testamenti sunt executores, resque hereditarias heredes inter & legatarios eo modo & ratione distribuunt, quam testator in suprema sua voluntate praescripsit, atque usque dum, quae scripta sunt in testamento, ad exitum sint perducta, bonorum omnium ab testatore relictorum sunt administratores. Loci temporisque, quibus includimur, angustiae haud quidem permittunt, in ipfas executorum origines ea, qua pars est diligentia curaque inquirere, quamuis, qui in id insumeretur, labor & utilitate, quae exinde redundaret in jurisprudentiam, & recte sentientium laude gloriaque compensaretur. Ne tamen rem adeo jucundam & utilem silentio profus transiisse videamur, causas, non quidem singulas, potiores tamen breuiter indicabimus, quibus, vti videtur, vltimaru

y) l. 28. C. de Episcop, & Clericis.

z) Novell. CXXXI. Cap. XI.

rum voluntatum executores hodierni potissimum suam debent originem. Quia in re primas veluti partes Juri Ciuiili Romano tribuendas esse, equidem negare prorsus nolo, si vero posterior aetas nullas alias inuenisset causas, vereor, ne, praeterquam in alimentis pauperum, ceterisque legatis, piis causis relicitis, Jura hodierna aequi ignorarent supremarum voluntatum executores, ac ignorarunt eos olim Jura Ciulia Romana. Prima autem istarum causarum, si quid video, ab superstitione repetenda esse videtur, quae temporibus medii aevi, fusa per gentes, hominum animos adeo occuparat, vt non posse quidquam fieri animae post mortem salubrius crederent, quam si bona sua, nisi vniuersim omnia, aliquam saltim eorum & haud raro maximam partem ecclesiis relinquerent monasteriisque, atque pro remedio animae suae suorumque DEVVM & caelites scriberent heredes. Atque his quidem legatis, quae piis, vti dicuntur, causis erant relicta, Jura ciulia, in primis autem eorum restaurator Justinianus, satis jam jam prospexerat, vt iacem ea, quae pontifices Romani in eorum fauorem decreuerant. Sed nihil tamen feci, vel, quia usus istorum jurium peregrinorum, apud Germanos cerre, non statim adeo frequens & magnus fuit, vel, vt eo magis certiusque innotesceret, quam feria & deliberata sua esset ultima voluntas, ejusmodi testatores, quominus ea post suam mortem infirmaretur, non tantum ipsis testamentis tabulis multas inserebant execrations, & dira queuis imprecabantur omnibus, qui supremum istud judicium irritum facere auderent a) sed etiam certis quibusdam exploratae fidei viris illius executionem verbis expressis committebant. Ceterum tamen ista superiorum temporum superstitione, de qua haec tenus, sola & unica executorum hodiernorum causa dici vix potest; itaque huic primae subjungamus causam alteram, quam nullam aliam esse existimo, quam summam istam maximamque differentiam, quae intercedit inter testamenta Juris ciuilis Ro-

a) Cujus rei exemplum deprehendimus apud Frid. Lindenbrogium in Codice Legum antiquar. B mani, German. inter Marculfi Formulas Cap. LXXII, in fine pag. 1253.

mani, & ea, quae in Germania, ex quo ea Germanis primum innotescere & in v̄su esse cœperunt, condita sunt olim, atque etiam hodie nonnullis in locis scribuntur. Etenim secundum decreta juris Romani heredis institutio veluti caput est & fundamentum testamenti, fine quo nihil in eo scriptum valet. Hodie vero multorum locorum moribus ita comparatum est, vt heredis institutio sollemnis ad testamenti naturam necessaria non videatur, proinde & ea ultima voluntas hodie dicatur testamentum, in quo, relictis tantum legatis, nulla heredis institutio facta est. Quemadmodum vero Germani quoad heredis institutionem non adeo religiose obseruant juris ciuilis decreta, ita & illud ejusdem juris axioma: *neminem posse pro parte testatum, pro parte intestatum decedere*, vti olim, ita etiam hodie passim sine omni periculo negligitur; vt ceteras plerasque testamentarias regulas, quas Jus Romanum incoleat, quasque patrii nostri plerorumque locorum mores vel prorsus ignorant, taceant. Jure Romano, qui heres est scriptus in testamento, simul ac adiit hereditatem, in vniuersum defuncti testatoris jus succedit, atque aes illius alienum soluere tenetur, & cum legatariis & fideicommissariis quasi contraxisse censetur, eamque ob causam illius est, curare, vt suprema testatoris voluntas, quantum fieri potest, habeat exitum. Ast in Germania nostra, si quis testamentum scripsit, in quo nullus institutus est heres, si testator ex parte testatus, ex parte intestatus decepsit, atque legata tantum reliquit, quis, quaeſo, hujus ultimae voluntatis executionem curabit, cum nullus scriptus sit heres, & qui defuncti sunt heredes ab intestato proximi, haud raro sint incerti? Ne itaque ejusmodi suprema iudicia ex his aliisque cauſis irrita fierent, ipsi testatores certis exploratae fidei viris illius executionem verbis expressis committebant. Gemina igitur ista differentia insignis, quam Germanorum inter atque Romana testamenta intercedere dixi, quamque hoc loco tetigī magis, quam exposui, effecit tandem, vt, quos hodie in v̄lu esse scimus ultimarum voluntatum executores, ſenſim paullatinque v̄lu & consuetudine formarentur & introducerentur. Ceterum hi executores hodier-

ni,

ni, qui vnicē moribus omnē suām debent originēm, non
hodie demūn, aut nudius tertius introducti sunt, eorum po-
tius usus fatis antiquus est, neque in Germania tantum, sed
per omnē paene Europam. Ita v. g. Saeculis XII, XIII &
XIV. istos executores jam cognitos fuisse, multis exem-
plis ex Historia medii aevi, & istorum temporum diplomati-
bus petitis probauit Christianus Gottlob Haltius b). De eo-
rum usu antiquo & hodierno apud exterā gentes, nominatim
apud Lusitanos, Hispanos, Gallos, Italos testes excitauit
Wolfgang Adam Lauterbach c). De Anglia idem testatur
Joannes Cowellus d). Germaniam nostrā quod attinet, in
genere quidem dici non potest, hodie per omnē, qua qua-
patet, Germaniam istos executores esse in usu, fatendum po-
tius est, olim eorum usum frequentiorem fuisse, quam qui-
dem hodie sit, atque jura sine dubio Romana, eorumque in
Germaniae forā introductionem, mores patrios hac ex parte
egisse in exilium, ceterum tamen adhuc hodie deprehendun-
tur prouinciae, in quibus per Jura prouincialia executorum
testamentariorum usus expresse confirmatus est, prouti de Ba-
varia, de Ducatu Wurtenbergico, de republica Noribergensi
abunde probauit, quem modo laudauit Lauterbachius e) de
republica Lubecensi testem habemus Dauidem Meuium f),
de incluta nostra republica Gedanensi autem vix opus est, dici,
quod liquit per se, ultimarum voluntatum scilicet executores
his nostris in terris usu frequentari perpetuo & quotidiano.

§. III.

Variae executorum testamentariorum diuisiones.

Recte jam olim inquit Joannes Oldendorpius g): di-

B 2 flin-

b) In Glossario Germanico medii

aevi loc. supr. citat.

c) In Disserit. citat. cap. IV. pag.

I3. 14.

e) loc. citato.

f) In Comment. ad Jus Lubecen-

se Part. II. Tit. I. Artic. XV.

pag. 75. 76.

d) In Instiit. Jur. Anglicani Libr. II.

Tit. X. pag. 111, & Tit. XIV.
pag. 121.

g) loc. cit. Tit. II. ab initio pag.

627.

stinguunt D. D. multas executorum species, subtiliter magis, quam cum vtilitate fori. Quotquot enim apud Jctos hinc inde deprehenduntur executorum diuisiones, eae paene dixerim omnes vel minus recte se habent, vel otiosae sunt, nulliusque, aut exiguae saltim vtilitatis. Diuiduntur autem vtilitarum voluntatum executores ab antiquioribus praesertim Jctis in *Vniuersales & Particulares*. Illos esse dicunt, quando testator nullos in specie scripsit heredes, sed in genere pauperes Christi heredes suos esse voluit, vel locum aliquem pium, vel si vniuersa sua bona iusfit per tales testamentarios executores distribui pauperibus, non instituendo heredes. Per particulares autem eos intelligunt executores, qui simul cum aliis heredibus in testamento scribuntur. Frequenter enim fieri solet, vt testatores, institutis heredibus, deputent nihilominus alios quosdam ad executionem rerum suarum, quas in variis causas relinquent, forte dubitantes de fide heredis. Ita hanc diuisionem explicant Joannes Oldendorpius h) Wolfgang Adam Lauterbach i) Joannes Caluinus k) aliique. Sed, vt taceam alia, quae quoad hanc diuisionem ejusue explicacionem monenda forsitan essent, hoc sensu hodie, nostris certe in terris, vix ac ne vix quidem executor, qui dicitur vniuersalis, extabit vnuquam. Praeterea, quoniam tutores inter & vtilitarum voluntatum executores aliqua adeat similitudo, ad exemplum tutorum executores quoque diuidi solent in pactios, seu conuentionales, testamentarios, legitimos atque datiuos. *Pactios* vel *conuentionales* ii dicuntur, qui praecedente conuentione vel pacto sunt constituti, *Testamentarios*, qui propria testatoris voluntate in testamento sunt designati, *Legitimi*, quibus per leges publicas ultimae voluntatis executio est commissa, *Datiui* denique, quos magistratus competens ex justa

b) loc. cit. Tit. III. §. 1. 2. pag. 633. 34.

i) loc. cit. Cap. III. n. II. pag. 10. 11.

k) Vid. Illius Lexicon Jurid. voc.

Executor testament. pag. 344.
Item Anonymi Lexicon Jurid.
quod prodiit Geneuae apud
Jacob. Stoer 1615 h. voce.
pag. 442.

justa causa constituit, ne pereat aut exitu caret vltima testatoris voluntas. Sed legitimos atque datios executores vius fori hodiernus his certe in terris fere prorsus ignorat, omnesque, qui eo munere hodie funguntur, vel conuentionales sunt vel testamentarii executores. Quemadmodum porro in tutela, si plures ab testatore constituti sunt tutores, legibus cautum est, l) vt ea potius per vnum, quam per plures administretur, indeque nata tutorum diuifio in gerentes vel administrantes, & honorarios, ita etiam, si plures in testamento scripti sunt executores, haud raro fieri solet, vt tantum vnum eorum negotia gerat, quare etiam vltimarum voluntatum executores in gerentes vel *administrantes* & *honorarios* a non nullis diuidi solent. Tandem etiam executores diuiduntur in *meros* & *mixtos*. Meri dicuntur partim, quorum munus sola & nuda vltimae voluntatis executione circumseribitur, quiqe nullam habent bonorum administrationem, partim in quos nullum exinde redundat commodum. Mixti e contrario sunt, qui, donec vltimae voluntatis executio ad finem fit perducta bona hereditaria administrant, atque praeterea ob labores, quos in exequendo isto munere insument, ceterasque molestias cum eo conjunctas, premium ferunt ab ipso testatore definitum. Sed vix opus esse videtur, vt his aliisque, quae superioribus addi possunt, diuisionibus diutius insistamus. Quamuis enim non omni prorsus deſtituantur fundamento, earum tamen plurimae ejusmodi sunt, vt, quae exinde in rem ipsam redudent utilitas, admodum fit exiqua.

§. V.

Quo ex Jure doctrina de Executoribus vltimarum voluntatum baurienda sit & dijudicanda, ostenditur.

Multa haec tenus diximus, quae quasi sunt praecognita doctrinae Juris hodierni nobilissimae de vltimarum voluntatum executoribus. Sed restant tamen aliqua, quae superioribus necessario sub jungenda sunt, priusquam ad tractationem principalem

B 3

cipalem

l) l. 3. §. 1. & 2. D. de Administrat. & Pericul. tutor.

cipalem progreedi possumus. Superest, scilicet, nobilis quaestio, quonam ex jure doctrina de ultimarum voluntatum executoribus haurienda sit & dijudicanda? Enim vero supra jam monui, atque, quantum quidem angustiae loci permiserunt, probauit, superiorum temporum moribus ultimarum voluntatum executores hodiernos omnem suam debere originem. Quae cum ita sint, facile patet, ex moribus quorumcunque locorum patris, juribusque nostris domesticis atque Germanicis primario omnes, quae in vita ciuili hinc inde occurrunt quaestiones, hos executores respicientes, dijudicandas esse & componendas. Ante omnia itaque respicienda est lex specia-
lissima, i. e. ultima testatoris voluntas, deinde jura loci vel prouinciae particularia, siue ea scripta sint, siue non scripta, patriisque juris analogia. Quoniam vero juriuum morumque priorum tanta interdum est incertitudo, tanta etiam eorum penuria, ut innumerae istae, quae in vita ciuili obueniunt, quaestiones controuerse, exinde omnes definiti prorsus nequeant, cumque alias in deciderendis quaestionibus controuer-
sis, deficiente jure Germanico patrio, ad peregrina jura, olim jam jam per vniuersam Germaniam in subsidium recepta, re-
currentum, & ex iis, in primis vero ex Romano Jure ista, quam quaerimus, decisio petenda sit, cum denique in ipsa adeo doctrina de ultimarum voluntatum executoribus quaes-
tiones exoriri possint litigiosae, atque saepe multumque ob-
ueniant in vita ciuili, quas patria nostra atque domestica jura
intactas prorsus relinquunt; iusutilis quaestio atque otiosa esse
non videtur, vtrum in casibus Jure Germanico non decisus,
Jus Romanum tanquam in subsidium sit adhibendum, & se-
cundum illius decreta pronuntiandum? id quod ego affirmare nullus dubito. Id equidem lubens non concedo tantum,
sed ipse adeo contendeo, si excipias alimenta pauperum, cete-
raque legata, piis causis relicta, jure ciuili de supremae volun-
tatis executoribus nil esse proditum. Sed hanc ob causam,
quam supra ea de re dixi, sententiam nondum muto. Etenim,
quid tandem est ultimae voluntatis executor? Est vir hone-
stus, cuius fidem vicariam iis in negotiis, quibus ipse super-
esse

esse nequit testator, supposuit. In his autem vltimarum voluntatum executionibus negotium quidem, quod executoris fidei commissum est, non prius nanciseitur vires suas, quam postquam illuc abiit testator, vnde negant redire quemquam; Vnde etiam ejusmodi executor vltimae dicitur supremaeque voluntatis executor. Enimvero non in casum mortis tantum vicaria amicorum fides solet supponi, idecirco potius amicitiae comparantur, vt, quoad viuimus, commune bonum mutuis officiis gubernetur. Itaque quam frequentissime negotia, nobis adhuc superstibus expedienda, quibus tamen ipsi praesette non possumus, aliis, sed iis, quorum fidem dexteritate satis exploratam habemus, committimus. Hoc autem dum facimus, *mandamus*, & totum illud negotium in Jure nostro ciuili Romano dicitur *Mandatum*. Quis autem est, qui non, me etiam tacente, intelligat statim, vix ouum ouo esse posse similius, quam ejusmodi mandatarium vel procuratorem hodiernis his nostris vltimarum voluntatum executoribus. Quamvis itaque Jura ciuilia Romana hos supremarum voluntatum executores hodiernos, fere dixerim prorsus, ignorent, tantum tamen abeat, vt ignorent mandatarios atque mandatum, vt potius hujus negotii natura atque conditio, mandatariique officium & obligatio in eo Jure prudentissimis decretis fit descripta & definita. Quae cum ita sint, vix opus est dici, quod liquet per se, in doctrina, de vltimarum voluntatum executoribus, vbi deficiunt patrii mores juraque domestica, in subsidium ad decreta Juris Romani de mandato & de procuratoribus esse recurrentum, atque id quidem eo magis, quo certius constat, executores vltimarum voluntatum veros esse defunctorum testatorum mandatarios, ipsumque mandatum in Jure Romano esse juris gentium & bonae fidei contractum, juraque nostra ciuilia in desinendo eo describendoque ab juris gentium praeceptis parum vel nihil recedere. Præterea, cum, praesertim quoad administrationem rerum hereditiarum, inter executores nostros atque tutores curatores, vti & negotiorum gestores magna adsit similitudo, cum porro executores multa peragere debeant, quae Jura Romana here-

heredibus in testamento scriptis expedienda committunt, exinde facile est ad intelligendum, doctrinas Juris Romani de administratione tutorum & curatorum, de negotiorum gestione, de heredibus & q. s. r. tutissima certissimaque suppeditare argumenta, quibus in doctrina de ultimarum voluntatum executoribus, in subsidium vii & possimus & debemus, ne vaga sit & incerta, sed justis potius principiis subnixa quaestioneerum in vita ciuili obuenientium decidendi ratio. Etenim fragilis & lubrica res est, non, nisi ex aequitate pronuntiare, omissa ea, quam scriptam habemus in jure constituto, & nunquam magis, inquit Vir summus Cornelius van Bynkershoeck m), periclitantur opes hominum, quam si jurisprudentia cerebrina occupauerit judicia, si non ex jure, sed ex arbitrio, lubrico illo & incerto, manus conseratur. Etenim, de aequitate, pergit Vir ille magnus, si omnibus una mens esset, frustra fuisset, leges scribere, sed quia Meito aequum videtur, quod Titio iniquum, dissentientibus superuenit legis auctoritas, absque ea si sit, tunc demum arbitrii partes erunt, tunc prudentiae, argumentis legum vti, & vel minimum sibi tribuere. Ne itaque in hac de ultimarum voluntatum executoribus doctrina vilissima nobis arbitrioque nostro quid tribuisse videamus, si deficiunt patria atque domestica jura, jura peregrina atque Romana in subsidium vocabimus, & ex analogia legumue Romanarum argumentis quaestiones obuenientes aestimabimus. Ceterum tamen, quamuis existimem, Jurisprudentiam Romanam etiam quoad hanc de executoribus doctrinam in subsidium esse adhibendam, eamque certissimas praestare juris di cundi regulas, id tamen inficias ire nolo, in hujuscemodi iuriū peregrinorum applicatione nihil esse facilius, quam quadrata miscere rotundis, nisi res ipsas, de quibus agitur, probe nouerit, qui id agit, & ad singula quaeque attentus, iisque artis suae subsidiis sit instructus, sine quibus de ejusmodi applicatione pronuntiare, temerat um esset.

§. VI.

m) In Praefatione ad Libr. IV. priores Observationum statim ab initio.

§. VI.

*Vltimorum voluntatum auctores earundem constituant
executores.*

Haec praefari debui, ut intelligent lectores sciantque, hujus doctrinæ nobilissimæ & utilissimæ fundamenta hoc in libello nos non in lubrico & instabili locasse. Quibus præmissis, ad ipsam progedinatur tractationem principalem, atque delineationem doctrinæ de vltimorum voluntatum executoribus, ob angustiam loci succinctam quidem, sed, quantum fieri potest, absolutam tamen & ad vium fori accommodatam. Quoniam vero, quid & quotuplices sint executores, supra jam docuimus, omisla eorum definitione & diuisione, ad eos statim accedimus, quibus permisum est, ejusmodi executores constituere; cuius rei haud obscura aut difficilis est decisio. Etenim regula, ex qua quaestio ista dijudicanda est, haec est: quicunque potest testari, ille etiam hujus suae vltimæ voluntatis potest constituere executores. Sed testari potest omnis ille, qui non prohibetur; quibus vero non sit permisum facere testamentum, ea de re in Jure nostro ciuili tam frequens tamque plena facta est mentio, vt hac ex parte nostrum, quo vtimur, jus anceps & incertum dici haud facile possit. Quare necessarium non esse videtur, hanc Juris ciuilis doctrinam, quippe aliunde satis cognitam, hoc loco longa oratione prosequi. Ne tamen nihil prorsus de eadixisse videamus, paucis quibusdam breuibusque ex Jure potissimum Gedanensi atque Culmensi petitis obseruationibus eam illustrabimus. Nimirum testamentum facere prohibentur alii, ob defectum status; alii, ob vitium animi corporisue; alii denique ob improbitatem. Sed defectum status, in primis libertatis & ciuitatis, quod attinet, omnia ea, quae in Jure nostro de seruis, deportatis, exulibus, peregrinis, & sic porro, sunt constituta, hodie fere nullius sunt utilitatis in praxi, quare iis omnibus non immoramus. Ob vitium animi prohibentur primo *impuberes*, quia nullum eorum animi est judicium. Impuberes autem intelliguntur, qui nondum annum aetatis decimum quartum compleuerunt, in feminis tamen annus est du-

C

decimus.

decimus. Horum omnium nullum esse, ait legislator, animi judicium, nimirum nullum plenum ac solidum, nullum tale, quale requiras in eo, qui de omnibus facultatibus suis vna perpetua dispositione statuere cogitat. Sed ab hac dispositione Juris civilis Romani recedunt Jura hodierna, atque Jus nostrum Culmense ea de re ait: n) Es wird aber nicht zugelassen (Testamenta vnd letzte Willen zu ordnen) zuvörderst denjenigen, so zu ihren Verstände, das ist, zu 21. Jahren nicht kommen sind. Cum hac Juris Culmensis dispositione, ut alia taceam, conueniunt ea, quae in Jure nostro Gedanensi leguntur, nisi, quod duplex ibi addita sit restrictio. Nimirum testari quidem apud Gedanenses prohibentur: o) Unmündige Personen, so das 21. Jahr ihres Alters noch nicht geschlossen haben, sed addita tamen hac limitatione; es waere denn, dass E. Raht ihnen Veniam aetatis ertheilet haette, & deinde altera, oder solche Personen in rechtmässigen Ehestande sich befaenden. Igitur hodie, atque his nostris in terris, non impuberes tantum, sed minores quoque ob lubricitatem aetatis prohibentur testari. Ob animi vitium prohibitur porro furiosi, vtpote qui mente carent. Sunt autem furiosi non modo ii, qui rabie animi agitantur, sed praeterea etiam mente capti & ad omnia coecuentes. In hoc enim differunt furiosi a mente captis, quod hi coecitate animi continua absque intermissione laborent, illi vero per interualla quiete aliqua inumbrentur, quin & longiore aliquando rationis vsu fruantur. Atque hi posteriores, cum dilucida sunt interualla, omnia gerere possunt, adeoque & facere testamenta, eorumque testamenta ob superuenientem deinde furorem nullo modo vitiantur. Mente capti vero, cum nulla habeant dilucida interualla, prorsus & semper testari prohibitur. Sed cum iis tamen non confundendi sunt simpliciores stupidioresque homines, eeteroquin tamen sanac & integrae mentis, qui proinde etiam possunt mediocritatem officiorum & vitae functiones communnes

n) Libr. III. Tit. VIII. Cap. I. p. 128.

o) Vid. Die Neurevidirte Willkühr

der Stadt Danzig, Part. II. Cap.

VI. Art. 2. n. 1. pag. 99.

nes vslitasque obire, atque igitur a jure testandi non exclu-
duntur. Atque haec Juris ciuilis decreta, de furiosis & men-
te captis, confirmant Jura nostra Culmenſia p) & Gedanen-
ſia q). Tandem huc pertinent, qui furiosis fere in omni-
bus, nominatim quoque in prohibita testamenti factione aequi-
parantur, *prodigi*. Sed Jura tamen nostra ciuilia, si prodigus
testamentum fecerit, in quo & sanguini iustum habuerit ho-
norem, atque pias in causas legata reliquerit, adeoque ita, vti
hominem sobrium deceat, testatus sit, hoc illius testamentum
ratum haberi volunt r). Quamuis autem Jura nostra Cul-
menſia s) & Gedanenſia t) aequae ac Jus ciuile prodigos
ab jure testandi excludant, ignorat tamen vtrumque illud Jus
hanc Leonis exceptionem, ceteroquin a pragmaticis tanquam
perhumanam laudatam. E contrario Jura nostra Gedanenſia,
quibus prodigi significanter dicuntur: *Die wegen Verschwen-
nung zu Stadtkindern gemacht worden, ifsi antedictae, de pro-
hibita prodigorum testamenti factione actiua, regulae hanc ad-
dunt duplēm limitationem, scilicet primam: Es waere
denn nach vorgaengiger Obriechkeitlicher Erkentniß, testa-
mentum prodigi itaque accedente auctoritate Senatus Magni-
fici conditum, validum est, deinde alteram, nisi testamentum
prodigi scriptum fit, antequam pro prodigo declaratus est.
Nam: haben sie, prodigi, aber vorhero, ebe ibnen curatores
gesetzt worden, ein Testament errichtet, so ist es zu Recht be-
flaendig.* Atque haec tenuis de iis, qui ob vitium animi testa-
mentum facere non possunt, quos excipiunt, qui ob vitium
corporis prohibentur. Huc autem pertinent principaliter *surd-
i & muti*, quod tamen de iis potissimum intelligendum, qui
a primis statim natalibus oculis habuerunt aures, & elin-
gues fuerunt, die von Geburth an zugleich taub vnd stumm
find, vti recte dicit Jus nostrum Gedanense, u) cuius dispo-

C 2

ſitionis

p) Vid. Jus Culmense loc. cit. pag. 128.

q) Vid. Die Danziger neue Will-
kühr l. c. n. 2. p. 100.

r) Vid. Nouella Leonis XXXIX,

s) loc. cit. pag. 128.

t) l. c. no. 4. p. 100.

u) l. c. no. 5. p. 100.

sitionis ratio in promptu est. Nam ejusmodi homines famae rationis vsu earent & mente captis haud absimiles sunt. Quod si proinde cui adulta jam aerate audiendi loquendue facultas calu quodam sinistro ablata sit, dummodo ejusmodi homo suam declarare possit voluntatem, cum desit prohibitionis ratio, is omnino condere potest testamentum, & surdus quidem, si loqui potest, nuncupatum, mutus, si scribere potest, scriptum, quin etiam mutus & surdus simul eandem habet potestatem. Coecos quod attinet, nisi alia obstat prohibendi causa, plane non ambigitur, eos testamentum facere posse etiam his nostris in terris x). & quamuis Justinianus ad impedendas fraudes peculiarem testandi formam iis praescriperit y), iis tamen in locis, vbi non nisi judicialia frequentantur testamenta, ista dispositio hodie parum habet utilitatis in praxi. Restant, qui ob improbitatem testamentum facere prohibentur, improbi & intestabiles. Sed, cum aliunde constet, qui ita dicantur, aut quid ratione eorum vsu fori obseruetur, iis amplius non immoramus. Sic itaque per indicem veluti recensuimus eos, qui testamentum facere prohibentur, qui autem non prohibentur, id quod per se patet, recte testantur, siue masculi sint, siue feminae. Has posteriores tamen quod attinet, Jure nostro Gedanensi sanctum est, eas non, nisi accedente curatorum suorum consensu testamentum scribere posse, quod, cum sit jus singulare, ipsius legis verba adscribere erit operae premium, quae haec sunt z): *Frauenpersonen, so wie dieselben ohne Assistenten nichts zu Recht bindiges vornehmen kœnnen; Also müssen sie auch bey Errichtung ihres Testaments nothwendig einen Assistenten haben, von welchen auch, wenn das Testament schriftlich ist, dasselbe muß seyn durchgelesen worden & s. r.* Omnes autem ii, qui, quid post mortem suam fieri velint, statuere, testamentaque condere possunt, *hujus*

x) Conf. Jus Culmens. loc. cit. Cap. VII. pag. 130. 31.

y) I. g. C. Qui Testament. facere possunt.

z) Vid. Die Danziger neue Wil- kühr Part. II. Cap. VI. Art. II.

n. 6. pag. 100.

hujus suae vltimae voluntatis possunt quoque constituere executores. Ceterum tamen, cum majores nostri, quamvis cum Jure Romano receperunt testamenta, non vbiique regulas testamentarias jure ciuili proditas atque praescriptas receperint, facile est ad existimandum, quando haec tenus diximus, executores vltimarum voluntatum posse constituere eos, qui testamenta facere possant, testamenta vero condere posse, qui non prohibentur, haec, inquam, omnia, quamvis ad imitationem Juris Romani sint tradita, non tamen in sensu Juris Romani de testamentis testatoribusque proprio ita dictis, sed de testamentis hodiernis vltimisque voluntatibus in genere eorumque auctoribus esse intelligenda.

§. VII.

Executores vltimarum voluntatum qui dari possint?

ostenditur.

Expositis iis, quae erant dicenda de his, qui dare possunt vltimaru voluntatum executores, ad eos progredimur, qui possunt dari atque constitui. Quia in re ne vel minimum nobis ipsis nostroque arbitrio tribuisse videamur, primario quidem, quem patria nostra jura executoris munus subire permittant, despiciamus, ast, vbi patria jura hac in re nihil definiunt, quem peregrina, in subsidium tamen recepta, jura aliena negotia expedire concedant. Jura autem nostra ciuilia in genere omnes aliena negotia gerere permittunt, nisi, si qui nominatim legibus excipiatur. Excipiuntur vero & prohibentur omnes, qui natura inhabiles sunt ad negotia ciuilia gerenda, veluti: furiosi, mente capti, surdi & muti, morbo afflitti perpetuo & tali, ob quem suis rebus praecesse nequeunt, infantes denique, neque opus est, vi auctoritate legum probemus, inhabiles esse eos, quos natura ipsa inhabiles esse pronunciat. Itaque ad reliquos progredimur, qui aliena negotia tueri ac gerere prohibentur. Primi autem sunt *minores*. Jura quidem Romana eos tantum, qui annis septendecim minores sunt, procuratores esse vel fieri negant, ast, qui decimum octauum annum ingressi sunt recte posse procuratores dari con-

C 3

ten-

tendunt, a) sed jura hodierna extendunt hanc prohibitio-
nem ad annos majorenitatis usque, & Saxonica in specie Jura
ad annum aetatis vicesimum primum b), quem majorenni-
tatis terminum ipsa etiam Jura nostra Culmensia adoptarunt
c). Minores ergo procuratores esse nequeunt, nonne vero
possunt esse vel fieri ultimarum voluntatum executores? Joann-
es Oldendorpius id absisse negat, atque ea de re, mibi, ait
d), videtur vix ullum tantae futurum vesaniae, ut executio-
nem ultimae voluntatis adolescenti commitat. Sitamen sic eue-
niat, verior est sententia illorum, qui dicunt, eum non admit-
ti, indignum enim est, administratorem fieri alienae rei, qui in
suis eget alterius auxilio. Praeterea executorem, ut satisfa-
ciat officio sibi commisso, saepe oportet versari in iudicio, si quid
forte sit exigendum ab inuitis, sed minor non habet legitimam
personam standi in iudicio. Ergo frustra deputatur minor exe-
cutor testamentarius. Haec Oldendorpius, & vix opus, mo-
neri, rationes, quibus suam, quam tuerit, sententiam com-
probat, magni omnino esse momenti. Nihilo tamen feci-
non desunt Icti, qui alia omnia sentiunt, atque ipse adeo
Wolfgang Adam Lauterbach nos, inquit e), non omnes, qui
infra hos annos (majorenitatis) sunt, arcere possumus, pu-
pillis etiam, qui infantiam sunt egressi locum facientes, sibi
enim imputet, qui tales, cui non perfectum animi iudicium &
maturum consilium, eligit, quamvis id omne tutoris subsidio
juvari possit, ac maxime, si obligari debeant, illorum conser-
vare & auctoritas sit necessaria. Ceterum iste haec tenus indica-
tus Ictorum dissensus unumquemque potest edocere, iura no-
stra domestica hanc quaestionem intactam reliquisse ejusque
decisionem justam atque legitimam variis esse obnoxiam diffi-
cultati-

a) §. 5. J. Quibus ex causis ma-
numit, non licet.

b) Conf. Lüder. Menkenii Sy-
nops. Pandect. Libr. III. Tit. III.
§. XI. pag. 113.

c) Vid. Jus Culmense Libr. IV.

Tit. XIV. Cap. V. pag. 202.
d) loc. cit. Tit. IV. n. 3. & 4.

pag. 638.
e) loc. cit. Cap. VI. n. 16. pag.
26.

cultatibus. Nihilo tamen secius ausim praestare, Joannis Ollendorpii sententiam opinioni Lauterbachii omnino esse praeferendam. Praeterquam enim, quod summa adhuc similitudo inter procuratores atque ultimarum voluntatum executores, atque iterque aliena negotia mandato domini tueatur & gerat, Jus autem Romanum, quod utique in subsidium adhibendum, quando deficiunt Iura domestica, minores septendecim annis procuratores esse vel fieri negat, quae Juris civilis dispositio usque adeo in Germania recepta, ut omnes in genere minores procuratores esse nequeant; minorum conditio nostris temporibus archetypis longe limitibus est circumscripta, ac olim apud Romanos, id quod alio loco olim prolixo exposuimus f). Quare minores in ea aetate, in qua sine auctoritate tutoris nec velle creduntur nec nolle, minus recte, certe non sine periculo, ultimarum voluntatum constituuntur executores. Ita mihi videtur, cum desit expressa legum auctoritas, ob argumenta earum. Sed relictis minoribus, de quibus haec tenus, transimus ad feminas. Quoniam Iura nostra patria, utrum feminae ultimarum voluntatum executores esse possint, nec ne? nulla lege certa & expressa definiunt, denuo ea res, cum desit certior juris dicundi regula, vnic ex analogia juris dijudicanda & per argumenta legum definienda esse videtur. Jure autem Romano mulieres aliena negotia expedire prohibentur, atque per exceptionem tantum duobus in casibus admittuntur, partim si mandatae eis sint actiones in rem suam, & proprium lucrum g), partim si pro parentibus, qui ob morbum aut aetatem rebus suis ipsi praeesse nequeunt, agere velint h). Neque hoc cuiquam videbitur mirum, cum apud veteres Romanos in genere non fuerit fas, mulieres in celebritate versari consuetuque hominum, alienis causis negotiisque se immiscere, atque officiis fungi in republica ciuilibus. Ab hac autem

f) In Dissert. Vtrum ii, qui sub g) l. 4. C. de Procurat, tutela viuunt hodie sui sint an alieni juris homines. Gedani h) l. 41. D. de Procurat.
1756.

autem sexus sequioris apud Romanos vitae consuetudine semper abhoruerunt patrii Germanorum mores, prout ex insituto hoc olim probauit Joannes Petrus a Ludewig i). Jure enim Germanico feminae inde ab antiquissimis temporibus jurisdictionem exercere possunt in alios, atque eam exercent haud raro vere, sunt praeterea capaces juris comitorum, habent testamenti factionem & actuum & passuum, negotia etiam virilia priuata gerunt, nec offendunt hodie aures germanicas nomina *mercatricum, magistrarum opifici, procuratricum*, vt alia taceam plura. Exinde autem facili negotio potest cognosci, sexum sequiorem ideo, quia Jura Romana feminas officiorum ciuilium incapaces esse ajunt, in Germania ab ultimarum voluntatum executionibus non simpliciter esse remouendum, atque Joannes Jacobus a Canibus k), Joannes Oldendorpius l), Wolfgang Adam Lauterbach m), David Meuius n) vnamini consenfū, feminas executorum munus subire posse, contendunt. Nihilo tamen secius admodum raro hodie, & fere nunquam, feminae ultimarum voluntatum constituantur executores, idque fortassis haud immerito. In tanta enim peregrinorum jurium, in sublium apud Germanos receptorum, difficultate, incertitudine & subtilitate feminae ob sexus sui imbecillitatem juriumque & consuetudinis forensis ignorantiam illi muneri subeundo pares esse vix videntur. Deinde feminae apud Germanos, Saxones certe, eosque omnes, qui Jure Saxonico vtuntur, in perpetua viuunt cura, atque non tantum in judicis stare aut comparere non possunt, nisi comite suo curatore, sed etiam extra judicium nihil, quod aliquius est momenti, absque curatoris sui consensu peragere possunt, quae perpetua feminarum tutela vel cura his etiam in terris recepta, Jureque nostro tam Culmensi o) quam Gedanensi

- i) In Dissert. I. de Differentiis Jur. Romani & Germanici in Seco Vellejano, Hal. 1720.
 k) loc. cit. Part. I. n. 46. pag. 519.
 l) loc. cit. Tit. V. pag. 638. 39. 40.
- m) loc. cit. Cap. VI. n. 4. 5. 6. pag. 24.
 n) Ad Jus Lubecense Part. II. Tit. I. Art. XV. n. 19. pag. 77.
 o) Libr. IV. Tit. XIV. Cap. XI. & XIII. p. 204.

Gedanensi p) expressis verbis confirmata est. Feminas, de quibus hactenus, quantum satis esse videtur, diximus, excipiant Clerici, quos tamen ipsum adeo Jus Canonicum q) ejusque interpres tantum non omnes ultimarum voluntatum executores esse posse, declarant, quare, cur apud Protestantes Clericis jus illud denegandum sit nulla adesse videtur ratio idonea, nec desunt quoque inter Protestantes exempla Clericorum, qui munere isto functi sunt. Monachos tamen quod attinet, Jus Pontificium r) eos munus illud non aliter finit subire, quam accedente & rite impetrata superiorum suorum licentia. Jus Lubecense s) ab executione testamentaria remouet omnes, qui Jurisdictioni Senatus Lubecensis non sunt subjecti, peregrinos, atque respicit, prout existimat Meuius, Jus Lubecense hac in re procul dubio executionis difficultatem, quae apud peregrinos futura est, qui nec eodem jure vltuntur, nec praefentes sunt, nec praesenteam a superiore mandum auxiliarem tam facile impetrare possunt. Jus nostrum Gedanense eos qui feminae testatricis sunt curatores, eique, dum condit testamentum suum, auxilio suo adsunt & auctoritate, ejusdem hujus vltimae voluntatis executores esse vel fieri, expressis prohibet verbis t). Ceterum hi, quos hucusque enumeraui, si non in vniuersum omnes, plerique tamen & potiores eorum sunt, qui vel natura vel legibus ultimarum voluntatum executores esse prohibentur. Reliqui omnes recte dantur executores, cuiuscunq; sint conditionis, unus vel plures, pure & sub conditione, cum libera & sine libera, in solidum & non in solidum. Etenim regulariter testatoribus hac

D

ex

p) Conf. Die neu revidirte Danziger Willkühr Part. II. Cap. VI. Art. II. n. 6. pag. 100.

Tit. I. Art. XV. n. 18. p. 76.

Joach. Lucas Stein Einleitung zur Lubischen Rechtsgelehrsamkeit Libr. II. Tit. I. §. 172. pag.

q) Cap. 17. X. de Testamento.

203. 4. ad suppos. emendatur.

r) Cap. 2. in Vito de Testamento. item Cap. vnic. Clementin. de Testamento.

t) Vid. Die neu revidirte Danziger Willkühr Part. II. Cap. VI. Art. 2. n. 6. pag. 100.

s) Meuius ad Jus Lubecens. Part. II.

ex parte tam ampla data est testandi libertas, vt suo quisque arbitrio hac de re possit constituer, eorumque ultimae voluntates semper ratae habeantur, plane vti olim apud Romanos ex lege XII. Tab. Pater familias, vti legasset - - ita jus esto.

§. VIII.

De Executorum qualitate & differentia.

Si testamentum recte fuerit factum, atque testator hujus sua voluntatis executorem scriperit habilem, incepit post mortem testatoris ultimae hujus voluntatis executio deferri in executores, vt regulariter nihil, quod ipsam executionem praecedat, superlit praeter susceptionem dicti muneris. Est autem hoc munus ex eorum numero, quae non facile quisquam alteri, nisi amico committit, atque, prouti Paullus de mandato ait u), omnem suam trahit originem ex officio atque amicitia. Quodsi vero ultimae voluntatis executio ab officio procedit & amicitia, sequitur, eum, qui munus illud suscipit, ad gerenda negotia benevolentia, non spe mercedis susciri. Est itaque executorum testamentariorum munus gratuitum munus. Quemadmodum autem reliqua negotia ciuilia, quae respnuunt mercede, idcirco non simul omne etiam respnuunt honorarium, ita, si remunerandi causa testator executori suo in testamento suo adsignari honorarium, munus executoris ideo non definit esse gratuitum. Nempe differt in jure nostro honorarium ab mercede. Honorarium enim beneficio habetur, & quae beneficiorum vicem obtinent, nullam itaque recipit aestimationem, non magis quam beneficium, merces contra soluit pro operis, quae beneficiis non comparantur, & ideo admittit aestimationem sicut opere. Praeterea beneficium & honorarium ex liberalitate proficiscitur vltro, merces autem pacto definitur, & sic habet necessitatem. Cum itaque executorum munus natura sua sit gratuitum, atque honorarium, quod vtplurimum executoribus adsignari solet, vltro proficiscatur ex liberalitate testatoris,

u) l. i. §. 4. D. Mandati vel contra.

cum

cum, in primis quando hereditas est opulenta & diffusa, ultimae voluntatis executio sit negotium, in quo consciendo multae saepe magna eque, tum propter ipsius munera difficultatem & taedium, tum propter alias causas, denoranda sint molestiae, quibus omnibus, qui designatus est executor, prorsus superfedere mallet, quantum, ne officium sit damnosum aut molestum, honorarium ei reliquerit testator sat amplum, jure quaeritur meritoque, vtrum, qui in testamento scriptus est executor, munus illud necessario subire cogatur, an potius ei ex his aliisque causis declinare illud liberum sit atque permisum, cuius rei decisio vnicce pendet ab diuersa executorum qualitate & conditione, quam ob rem indicanda primum repetendaque est ista executorum differentia. Sunt autem, protut alio loco jam diximus, ultimarum voluntatum executores vel *conventionales*, vel *testamentarii* in specie ita dicti. Conventionales dicuntur ii, qui, praecedente conventione vel pacto, inter testatorem & executores inito, quo hi supremae voluntatis executionem sibi oblatam in se suscepserunt, ab testatore vi hujus pacti in testamento suo illius executores scribuntur. Quoniam igitur executores conventionales per pactum munus illud in se suscepserunt, atque frangere fidem, animo deliberato datam, ab antiquissimis inde temporibus apud Germanos perfidolum fuit atque nefarium, facile potest cognosci, hos conventionales executores munus sibi demandatum atque suscepimus post mortem testatoris recusare non posse, nisi causa ad sit justissima & talis, vi cuius ipsum pactum, quo constituti sunt, corruat nullumque reddatur. Quodsi proinde cessat ejusmodi executor officium, quod suscepit, implere, ab heredibus legatariis, iisque omnibus, quorum interest, potest cogi praeflatione ejus, quod eorum interest, impletum esse negotium mandatum x), ut in omnibus faciendi obligationibus obseruari, Celsus ait y). Ab his conventionalibus executoribus differunt testamentarii in specie

D 2

ita

x) I. 27. §. 2. D. Mandat. vel con-
tral. 28. D. de Negor. gest.

y) I. 13. §. 1. D. de Re judic.

ita dicti. Est enim executor testamentarius ille, qui nullo praecedente pacto ab testatore ultimae suae voluntatis executor scribitur. Quemadmodum autem, qui ab testatore heredes in testamento sunt scripti, quibusue legata relicta, heredes fieri, legataque sibi relicta accipere, hodie praeferunt, nullo jure coguntur, ita similiter ipsa vult aequitas, vt, qui ab testatore proprio motu supremae suae voluntatis executores sunt constituti, munus illud, de quo suscipiendo nunquam dederunt fidem, si velint, suscipere possint, si vero nolint, ne cogantur. Evidem haud ignoro, executores ultimarum voluntatum aequiparari tutoribus a Jctis, scio, tutelam esse munus publicum, ad quod subeundum unusquisque potest cogi ab praetore milictae dictione & pignoris captione ²⁾, eamque ob causam antiquiores praeferunt mediique aucti Jctos ultimarum voluntatum executionem muneribus publicis annumerasse, atque igitur existimasse unumquenque vel inuitum ad illud munus subeundum a magistratu posse cogi. Enim vero, quamuis non negemus, ultimarum voluntatum executores inter atque tutores aliquam intercedere similitudinem, simul tamen omnes etiam agnoscunt & profitentur, omne simile quodammodo dissimile, & saltim non idem esse. Tutelam quod attinet, interest quam maxime reipublicae, ne pupilli maneant indefensi; magistratus itaque curare debent non tantum, vt pupillis tutores dentur, qui eos defendant ac tueantur, sed etiam ciues reipublicae, nisi habeant justas & legitimas excusandi causas, milictae dictione, si opus est, aliisue coercendi modis cogere possunt, vt vel inuiti suscipiant tutelam sibi delatam; idque vult reipublicae salus, quae semper suprema lex esto, atque has ob rationes tutela muneribus annumeratur publicis. De testamentis vero ceterisque ultimis voluntatibus recte quidem olim dixit Julius Paullus ^{a)}: *publie expedit, suprema hominum judicia exitum habere,* ea

²⁾ I. 1, §. vlt. D. de Munerib. I. 9. a) I. 5. D. Testament. quemadmodum. Eod. I. 1. D. de Administr. mod. aperiant tutor.

ea exitum habere possunt, etiamsi, qui eorum dictus est executor, munus illud subire nolit, eodem modo & ratione, qua olim apud Romanos, qua hodie iis in locis prouinciisque, quae, vti veteres Romani, ultimarum voluntatum executores vel prorsus ignorant, quae scribuntur, testamenta exitum habent, scilicet heres ipso jure tenetur, curare, vt, quae testator post mortem suam fieri se velle in testamento suo scriptis, expediantur, impleantur. Itaque tutores inter atque ultimatum voluntatum executores hac ex parte summa intercedit differentia, adeo, vt quamvis tutela muneribus publicis annumeretur, atque tutores, nisi iustas habeant excusandi causas, ad eam suscipiendam possint cogi, executorum tamen munus mere priuatum munus atque voluntarium esse, non sine ratione existimet Wolfgang Adam Lauterbach b), quod, qui nominati sunt ab testatore, si velint, suscipere possunt, si vero nolint, cogi non possunt. Quae cum ita sint, necesse omnino est, vt executores testamentarii stricte dicti voluntatem suam de suscipienda vel non suscipienda ultimae voluntatis executione declarent, id quod fit vel verbis, vel re ipsa & facto, fere eodem modo & ratione, qua heredes, utrum adire velint hereditatem, nec ne, voluntatem suam declarant. Ceterum vix opus, moneri, ejusmodi executores, honorarium, si quod fortassis in testamento eis relictum est, si munus executoris in se suscipere nolunt, nullo jure petere posse, nam, non debet nolle, quod antecedit, qui vult, quod sequitur. Quodsi vero executor munus ab testatore sibi commisum vere in se suscepit, illud etiam, per regulam: quod ab initio erat voluntatis, ex post facto fit necessitatis, exequi debet secundum legem ab testatore in testamento datam atque praescriptam. An quoque ipse absolute, adeo, vt ne quidem alium substituere, & vicarium suae diligentiae supponere possit vel adjutorem? Habet haec res omnino aliquid quaestio-
nis, qua propter, age, dispiciamus, quid jura nostra de ea praecipient. Continet autem ultimae voluntatis executio, vt

D 3

in

b) loc. cit. Cap. IV. p. 17.

in genere omne mandatum, negotiorum gestionem, proinde negotium istud non contentum est fide sola, sed praeterea opus habet industria & peritia negotio consentanea. Hanc testator spectat, & ab executori exigit jure quodam amicitiae, nec minus profitetur eam executor, amici negotium, ejusque gestionem in se suscipiens, cum ad eum nihil pertineret. Consequens igitur esse videtur, ut quasi tacito quodam pacto adstringatur ultimae voluntatis executor, ut expedit omnia, quae expedienda sunt, ipse praesens, non per alios substitutos & vicarios. Sed ex altera tamen parte inter omnes constat, in negotiis praesertim extrajudicialibus ipsum adeo procuratorem non prohiberi simpliciter alium substituere, atque mandantem, si, quem constituit procuratorem, per alium aequo bene rem gesserit, ex gestis valida obligari c), quare idem jus ultimarum voluntatum executoribus haud prorsus denegandum esse videtur. In hac autem argumentorum pugna, quae controvexit, rem una decisione vix definiri posse, sed potius casus diuersos a se inuicem separandos esse, existimo. Scilicet, aut de toto executionis negotio, per alium substitutum expediendo, sermo est, aut de vno tantum alteroue negotio singulari, ad ultimae voluntatis executionem spectante, per substitutum vicarium peragendo. Sin posterius; non dubito, quin ultimarum voluntatum executoribus omnino competit potestas, negotium aliquod singulare per substitutum expediendi, partim quia hac ratione ipsa ultimae voluntatis executione longe citius faciliusque expediri potest, partim quia incivile esse videtur, executionem supremae voluntatis, in se satis molestam, ideo reddere molestiorem, ut absque necessitate executorum damnemus, ipsum praesentem singula peragere negotia, etiam ea, quae aequo bene per alium, atque haud raro per alium commodius sumptibusque minoribus expediti possunt, quam abs se ipso. Quodsi vero de toto executionis negotio queritur, vtrum executor illud per substitutum

c) I. 8. §. 3. D. Mandati vel contra
Add Joann Heinrich de Berger

Oeconomia Juris Libr. IV. Tit.
IX. §. 2. not. I 5. pag. 967.

tum expedire possit, nec ne? iterum distinguendum esse existimo, vtrum ei potestas substituendi alium ab testatore data sit, nec ne? Sin prius, vix opus, dici, perinde esse, siue executor ipse, siue per substitutum expediat ea, quae ab testatore praescripta sunt, dummodo omnia rite & secundum legem ab testatore datam expediantur. Daud quidem Meuius longe alter sentit, quando ait: d) *Et cum electa (executorum) industria, non poterunt aliis officium & munus suum committere, et si vel ipse testator substituendi potestatem dedisset.* Sed Meuius tamen hujus siuae sententiae nullam reddit iustam rationem atque legitimam. Ait quidem: *cum electa eorum industria &c. ast, qua ratione dici potest, electam esse ab testatore industriam executoris illius, cui testator substituendi dedit potestatem?* Sin autem posterius, atque testator executori suo potestatem substituendi expressis verbis non dederit; executorum designatum, qui munus sibi demandatum legitimo modo suscepit & adiit, ob rationes ante dictas alium substituere plane non posse, sed ipsum potius negotium suscep- tum expescere debere, existimo. Inprimis cessat hoc in calu substituendi potestas simpliciter, si testator non vni tantum, sed duobus pluribusve ultimae sua voluntatis executionem commiserit. Plures enim executores, non tantum, si ab ipso testatore constituti sunt *jamn vnd sonders*, verum etiam, si conjunctim constituti sunt, cum, quae expedienda sunt negotia, saepe melius per vnum, quam per plures expediantur, in primis si adhuc causa justa, vni administrationem executive nemque negotii committere possunt; quamuis, qui non gerunt actu negotia, nihil secius executores manent & obligati, eodem modo & ratione, quia tutores honorarios obligatos esse ait Vlpianus e) Quamuis autem ultimae voluntatis executor, cui ab testatore substituendi potestas non est data, negotia sibi commissa & suscepta per alium suo arbitrio expedire, vt mihi quidem videtur, plane non possit, tamen, in primis si ab testatore

d) loc. citat. n. 14. pag. 76.
e) l. 3. §. 1. & 2. D. de Admini-

frat. & peric. tutor & curat.

statore vnuſ tantum coſtitutus eſt executor, atque ille nego-
tium coimiuſſum expedire & ad finem perducere prorſus im-
peditur, iudici non deneganda eſt potefas cognoscendi f),
vtrum expedit, ex officio aliū coſtituere executorem,
quasi datiuuム, an potius vltimae voluntatis executio heredi-
bus defuncti testatoris ſit relinquenda, vtpote qui alias ipſo ju-
re obligati ſunt, curare, vt ſupremum testatoris iudicium ha-
beat exitum.

§. IX.

*Aperiantur Testamenti Tabulae atque Inuentarium
conficiatur.*

Multa haſtenus diximus de iis, qui executores vltima-
rum voluntatum dari, aut eos dare poſſunt, de qualitate item &
diſferentia eorum, qui dati ſunt, ſed ſpero tamen, neque inutilem,
neque taedio futuram hanc diſputationem noſtram, iis certe, qui-
bus eſt ſtudium, intelligendi omnem doctrinam de executoribus
vltimarum voluntatum hodiernis nobilissimae ambitionis. Tran-
ſimus itaque nunc ad ipsam vltimae voluntatis executionem,
eaque omnia, quae ab executori in expediendo, quod fuſcep-
pit, negotio curanda ſunt & obſeruanda. Principaliſ autem,
qua adſtrigitur, lex, ad cuius normam & regulam omnia ab
eo peragenda ſunt negotia, ſunt ipſae testamenti tabulae, qui-
bus, quid post mortem ſuam fieri velit, declarauit testator de-
functus. Hae itaque testamenti tabulae post mortem testatoris
ante omnia legitimo modo aperiendae impiciendaeque ſunt;
id quod, quemadmodum aperiantur, inſpiciantur & deſcribantur, & In-
terpretes v. g. Luder, Menke-

f) l. r. pt. D. Si quis omitta cauſa
tellam. & cer.

g) Vid. Tit. Pandect. Testamenta
quemadmodum aperiantur, in-
ſpiciantur & deſcribantur, & In-
terpretes v. g. Luder, Menke-

nium in Synopsi Pandect. Libr.
XXIX. Tit. III. pag. 693. item
Joan. Heinr. de Berger Oecono-
nom. Juris Libr. II. Tit. IV. §.
XIX. pag. 390. ſeqq.

nouissimi, publicationem testamentorum, & quid circa eam
hinc in terris obseruantum, egregie illustrantem. Est autem
ea hujus tenoris h): Auf denen Testamentischen Dispositio-
nen, welche verschlossen über die Banck insinuaret werden, mustz
in der Auffschrift, oder so genannten Terminatur ausgedruckt
seyn, zu welcher Zeit, vnd von wem dieselben, ob nemlich von
den Erben, Legatariis oder Executoribus, oder auch von an-
dern Interessenten, conjunctim oder diuisi, oder auch von de-
nen E. E. Gerichten ex officio zu eröffnen seyn, oder ob sie auf
gewissen Fall uneröffnet liegen bleiben sollen. In Ansehung der
ver Testamenten aber, welche durch den Gerichtsschreiber nebst
Zeugen verschlossen aufgenommen werden, soll der selbe sich bey
der testirenden Person erkundigen, ob, im Fall, da nach ihren
Absterben die Eröffnung nicht gesucht würde, solche von E. Ge-
richte ex officio zu bewerkstelligen, oder wie es sonst damit zu
halten seyn werde, vnd alsdenn der Auffschrift eines solchen
Testaments die Erklärung der testirenden Personen wegen der
Oeffnung ihres letzten Willens ausdrücklich beifügen. Wäre
auch in einem Nothfall, da der Gerichtsschreiber nicht zu ha-
ben gewesen, von jemanden sein letzter Wille andern ungefah-
renen Personen zur Gerichtlichen Insinuation verschlossen ohne
alle Auffschrift übergeben worden, so werden die E. E. Ge-
richte solches nachhero nach Anweisung der Rechte aufgezeugtes
vnd beschworenes Testament gleich nach dem Tode der testiren-
den Person ex officio eröffnen. Woferne auch von dem, oder de-
nenjenigen, denen die Eröffnung eines Testaments ohne Benen-
nung einer gewissen Zeit ist aufgetragen worden, solche Eröff-
nung aufs späteste innerhalb Jahres Frist von dem Tode der
testirenden Person nicht besorgt worden: so werden die E. E. Ge-
richte sie desfalls errinnern, und fals dem ohngeachtet dennoch
die Eröffnung des Testaments weiter unterlassen wird, nach Ver-
lauf von sechs Wochen das Testament ex officio eröffnen. Ex
quibus Juris Gedancis verbis praeter alia multa, publicatio-
nem

E

h) Vid. Die neu revidirte Danziger Willkürt Part. II. Cap. VI. Art.
XI. pag. 104.

nem testamentorum concernentia, in primis etiam hoc discimus, nonnunquam executoris esse, curare, ut testamenti tabulae aperiantur, ipsamque earum publicationem his in terris statim post mortem testatoris fieri posse, ipso v. g. testatoris die emortuali, aut proxime in sequenti, cuius rei nec defunt exempla, quae fori nostri usus suppeditat, plura. Atque tunc ultimarum voluntatum executoribus ut plurimum incumbit simul cura funeris faciendi, vel, quia eos testator in testamento suo expresse isti muneri praeposuit, vel, quia heredes, qui ad procurandam defuncto quietem perpetuam sunt obstricti, absentes sunt, aut impuberes, aliiisque ex causis munus illud subire nequeunt. In persequendo isto negotio autem curabit executor, ut sumptus in funerale pompam apti & moderati fiant. Caveat proinde, ne in contumeliam defuncti nimis parcus sit i), neue etiam nimis immodosus eos faciat, etiam si testator id expresse voluerit: ineptae enim defunctorum voluntates non seruandae k). In primis itaque respiciendum est ad dignitatem defuncti testatoris, ad illius facultates, ad consuetudines loci illius singulares, ubi quis sepeliendus est, tandem etiam ad ipsius defuncti, si quam ea de re fecit, dispositionem. Alibi, apud Saxones praelestum, jam inde ab antiquissimis temporibus triginta dierum spatium, *der Dreyzigste*, vel *die Ersten vier Wochen*, a morte testatoris computandum, usu & consuetudine longa receptum est, intra quod nefas habetur, de erescunda familia cogitare l). Iis itaque in locis, ubi in re hereditaria dies ille tricetus obseruantur, statim post mortem ejus, qui hereditatem reliquit obligandae sunt res hereditariae mobiles, curandumque funus ab iis, quibus id officium incumbit, vel quos testator defunctus ad id elegit e modo,

i) l. 14. §. 10. D. de Religios. &
sumib. funer.

k) l. 14. §. 6. D. Eodem l. 113.
§. 5. D. de Legat. I.

l) Conf. Jus Provinc. Saxon. Libr.
I. Art. XX. XXII. XXXIII. Libr.

III. Art. XV. Jus Lubecens. Libr.
II. Art. XXVII. & Joan. Gottl.
Heineccii Elem. Jur. Germ.
Tom. I. Libr. II. Tit. X. §. 306.
pag. 589. item §. 313. pag.
594. 95.

modo, quem supra descripsi; at non prius, quam exacto hoc triginta dierum spatio, in possessionem hereditatisiri potest, nec creditoribus fas est, heredes aut ultimarum voluntatum executores actione pulsare, nec denique testamenti tabulae aperiri & publicari, nec inventarium confici, nec ipsa hereditas diuidi potest. Simulac vero testamenti publicatio rite & legitimo modo fuerit facta, siue ea facta sit statim post mortem testatoris, siue non, nisi elapsi triginta dierum spatio, pro cuiuscunq; loci consuetudine, atque ultimae voluntatis executor munus, cui praepositus est ab testatore, suscepit, necesse vitio est, ut ei omnium bonorum hereditariorum custodia atque possessio permittatur, adeo, ut eo nomine quoque omnes actiones possessorias instituere possit aduersus impeditentes. Hoc autem vult ipsa negotii, cui praepositus est executor, natura & indeoles; sed nec desunt Jura, quibus quae diximus, verbis expressis sunt praescripta. Jus enim Provinciale Bauaricum ea de re ait m): *Wo eine Person mit To-de abgehet, vnd ein Geschaefft ihres letzten Willens hinter ihr verlaeft, so soll desselben verlassen Haab vnd Guter den Ge-schaefttrigern, Treustraegern und Ausrichtern solichs Ge-schaeffts obn reebtliches Erkentniß folgen, vnd durch die Obrig-keit derselbigen Ende zu überantworten verschafft werden. Ob sich dann jemand des wiederen wollt, so soll die Obrigkeit solches außer Rechtens zu gebieten Macht haben.* Hoc autem facto, excutoris est, curare, ut statim omnium rerum hereditariorum fiat consignatio, neque quidquam geratur, antequam ea fuerit facta. Tutores quidem curatoresque, quos inter & executores nostros alias nonnulla intercedit similitudo, antequam administrationem tutelae suscipere possint, confirmari debent ab magistratu, & praeterea fatisdare, vel jurato promittere coguntur, rem pupilli saluam fore. Ultimarum voluntatum executores hodierni autem regulariter nulla indigent speciali confirmatione magistratus, neque fatisdatio villa, aut promissio jurejurando firmata ab iis exigitur n). Omissisita-

E 2

que

m) Tit. LII. Art. II. §. I.

Cap. IX. n. 10. 11. 12. 17. 18.

n) Conf. Lauterbachii Dissert. cit.

pag. 49. 50.

que omnibus iis, quae quasi praemambula sunt tutelae, ultimorum voluntatum executor, necesse est, ut statim hereditarium rerum faciat confignationem. Fit autem ista adeo necessaria confignatio regulariter per confectionem inuentarii, hodie vero multis in locis per specificationem juratam. Inuentarium est designatio solemnis omnium bonorum & juriuum, quae apud defunctum testatorem fuerunt, legitimo modo ab executoribus facta. Formam illius leges praescribunt o), recensent & Jcti illius requisita p), cum autem iis hodie non amplius tam anxie infistamus, atque sufficiat, tabellionem adhibuisse duosque testes, perque eos omnia legitime confignasse, quin, cum inuentarii solemnis vice plerisque in locis sit designatio vel specificatio jurejurando confirmata, illius requisita, legibus praescripta, hoc loco recensere nolo. Est autem ista hodie tam frequens specificatio jurata: rerum hereditarium, quarum inuentarium solemne non est confectum, designatio priuata, jurejurando confirmata. Atque summe maximeque necessaria est ejusmodi confignatio rerum hereditiarum, siue ea facta sit per inuentarii solemnis confectionem, siue per specificationem juratam; adeo, ut, si ultimae voluntatis executor eam neglexerit, eodem jure, quo tutor & heres, inuentarium non conficiens, dolo malo id fecisse presumatur q) & in solidum teneatur r). Inuentarii autem vel juratae specificationis rite confectae effectus sunt plures, iisque insignes. Vnus est, ut ejusmodi confignatio, quantum ad executorem & heredes legatariosque, atque ipsos defuncti credi-

o) I. 22. §. 2. C. de Jure Delibera-

randi.

p) V. g. Joan. Henr. de Berger in

Oecon. Jur. Libr. II. Tit. IV. §.

50. not. 5. p. 492. Luder Men-

kenius in Synops. Pandect. Libr.

XXVIII. Tit. VIII. §. 4 pag. 678.

Joh. Henning Bochiner in In-

trod. in Jus Digestor. Libr.

XXVIII. Tit. VIII. §. 5. & 6. sqq.

pag. 199. & alii.

q) I. 7. pr. D. de Administrat. &

pericul. tutor.

r) I. 22. §. 14. C. de Jur. Delibera-

rand. Novel. I. Cap. 2. Adde Sa-

muel Stryckii Cautel. Testam.

Cap. XXII. Membr. II. §. 1.

pag. 964.

creditores attinet, sufficiat ad probationem quantitatis rerum hereditiarum, atque proinde executor ultra vires hereditatis non teneatur, & si quae res hereditariae pereant, re vera eae heredibus & creditoribus pereant s). Alter effectus est, vt, incendio exustis chirographis, debitores vel ex inuentario conueniri possint t). Ut taceam alia, quae utilitatem necessitatemque inventarii vel juratae specificationis comprobant sumiam maximamque.

§. X.

Bona hereditaria quemadmodum administranda ab ultimorum voluntatum executoribus?

Admodum raro contingit, vt testator tam plene perfecteque tamque sollicite res suas omnes, & quid circa eas post mortem suam fieri velit, ordinari, vt, quem ultimae suae voluntatis executorem constituit, nil amplius curare debeat, praeterquam exsolutionem distributionemque rerum hereditiarum inter heredes, legatarios, donatarios, forte ipsos etiam creditores, si qui sint, secundum legem ab ipso praescriptam. E contrario vero, quamvis testator de rebus suis disposuerit ita, vt totum exhaucrit hereditarium astem, peractaque secundum legem praescriptam hereditatis divisione, nihil prorsus ex eo superfit; nihilo tamen secus haud raro fieri solet, vt, qui scriptus est heres, in semisse v. g. sit institutus, praeterea adhuc hodie multis in locis prohibentur testatores cognatis suis spem succedendi prorsus interuertere, atque incluta nostra respublica Gedanensis praeter alias multas Juris vere Germanici reliquias etiam hanc seruat legem, vt quisque testator descendantibus suis, adscendentibus & collateralibus, atque his ad gradum usque octauum saltim legitimam relinquere debeat, prout infra ostendemus copiosius. Quodsi itaque heres in semisse sit institutus, aut ei legitima sit relicta, necessario totius hereditatis vires probc sunt exami-

E 3

nandae,

s) l. 13. C. Arbitr. Tutel. l. 22. t) l. 57. D. de Administr. & peric.
§. 4. C. de Iure Deliberand. tutor.

nanda, ut semissis quantitas & legitimae portionis rite possit definiri. Accidit praeterea haud raro, ut testator legata tam multa magna perscribat, eaque in pecunia numerata exsoluenda, ut eorum summa simul sumta omnem excedat illius pecuniam parataam, de praediis autem urbanis & rusticis certisque bonis hereditariis, vt vel prorsus in testamento suo taceat. His itaque aliisque in casibus tantum abest, ut ultimae voluntatis executor statim post mortem testatoris, publicatumque testamentum & confessum inuentarium heredibus legatariis id, quod cuique ex voluntate testatoris debetur, exsolueret, atque hac ratione ultimam testatoris voluntatem exequi possit, ut potius, antequam id fiat, administratio quae-dam bonorum hereditariorum necessario praecedere debeat, quae, qualis sit, quibusque limitibus circumscripta, id nostrum nunc est, ut exponamus paulio curatus. Ut autem omnia quam breuissime peragantur, oportet quidem executorem in administratione bonorum hereditariorum in genere boni viri patrisque familias boni officio fungi, sed in primis tamen eum oportet in eo omni cura elaborare, ut, quantum potest, hereditatis vires exploret; quem in fine non tantum statim rerum hereditiarum inuentarium conficiendum, sed etiam, ipsa separatio bonorum hereditariorum, vt, ea, qua pars est, ratione fiat, maxime necessarium est. Etenim testatores in suis ultimis voluntatibus ut plurimum res suas hereditarias inter heredes suos legatariosque ratione diuersa distribuere solent, atque v. g. vni alterius eorum rem quandam singularem, vel mobilem vel immobilem, nominativam expressam, & ut eo certius designetur, speciatim descriptam relinquent, aliis e contrario autem in genere tantum certam ut plurimum definitamque pecuniae sumnam aut etiam tertiam, quartam totius hereditatis partem adsignant. Hoc si fuerit factum, separare omnino debet ultimae voluntatis executor res istas singulares hereditatis, ab reliquis bonis hereditariis, de quibus testator in genere tantum, quid post mortem suam fieri velit, ordinavit atque disposuit. Hanc posteriorem bonorum hereditariorum classem quod attinet, quoniam, quae ad eam

eam pertinent res, nemini in specie sunt adsignatae, ast quārum tamen valor heredibus & legatariis ab testatore est relictus interque eos distributus, vt exitum habere possit ista testatoris suprema voluntas, vtque præterea etiam totius hereditatis vires eo certius possint definiri, executor testamenti curare debet, vt istae res, siue mobiles sint, siue immobiles, distrahanter. Vix autem opus est dici, quod per se patet, istam bonorum hereditariorum venditionem distractionemque fieri debere bona fide & pretio justo. Bene itaque sibi integratique famae suae coniūlunt vltimorum voluntatum executores, qui ejusmodi res hereditarias, etiam si id legibus expresse non sit præscriptum, auctionis vel subhastitutionis lege plus licitanibus vendunt. Tutor quidem, si res pupilli mobiles, & quae seruando seruari non possunt, præterea & immobiles, sed has tamen ex causa justa atque necessaria accedente decreto magistratus, distraxerit, jure ciuili cautum est, vt ex pecunia inde collecta praedia compareret, vel si summa ad comparanda praedia non sufficiat, pecuniam intra tempus certum, lege definitum, foenori collocet, aut, id si facere negligat, ipse ejus pecuniae viuras, easque grauiissimas, quae appellantur legitimæ, soluere teneatur. Sed haec Juris ciuilis dispositio ad hos executores nostros cur non possit applicari, vel ipsa ante dicta ratio, cuius causa ista bonorum hereditariorum distractio facta est, satis superque docet. Ceterum tamen aequē minus executor, ac pupilli tutor, ejusmodi pecuniam in usus suos conuertere potest; asservari potius atque deponi debet omnis inde collecta pecunia, atque ne nimis diu otiosa jaceat, executoris est, curare, vt negotium sibi commissum quantocvys exequatur. Quo minus autem id fiat, impedit haud raro ipsius testatoris expressa voluntas, qua tempus diemque certum in ipsis testamenti tabulis praefixit, quo demum vltimae suae voluntatis executio per distributionem rerum hereditariorum inter heredes & legatarios fieri debet. Hoc autem si fuerit factum, legem, si quam testator de administratione bonorum hereditariorum dedit, obseruare tenetur executor, & si nulla ea de re ab eo præscripta sit lex, id vnicurare

curare debet, vt, quid quid agat, prudenter agat, bonique viri vbique fungatur officio. Quodsi itaque testator forsitan ante mortem suam contraxerit aes alienum, si sit modicum, si praeterea justum esse verumque debitum, comperiat, ad exemplum tutoris sponte soluat executor, non vtique per iudicem u), partim, vi existimationi testatoris etiam post mortem parcatur, partim vero, vt vsuram cursus fistatur. E contrario vero, si testator fecerit nomina, quae non amplius idonea esse videntur, quantum potest, curare debet executor, vt exigantur, antequam siant mala. Quae vero sunt expedita, ea regulariter & necessario ab executoribus exigenda non sunt. Quoniam vero optima interdum etiam nomina non appellando siant mala, curandum in primis, vt vsurae tempore justo soluantur. Atque hactenus de iis potissimum rebus hereditariis, quas testator nemini herendum aut legatariorum in specie adsignauit, sed de quibus tantum in genere, quid post mortem suam fieri velit, ordinauit. Alteram classem bonorum a defuncto relictorum constituant eae res, quas siue sint mobiles, siue immobiles, testator vni herendum aut legatariorum nominatim & in specie legauit. Atque vix opus, moneri, eas res ab executoribus vendi distrahique non posse. Adseruandae eae potius custodiendaeque sunt ab executoribus, usque dum secundum legem ab testatore praescriptam iis, quibus reliqua sunt singulae, tradi possint ac debent. Ceterum, quamuis executores istas res distraheret & alienare nequeant, nihil tamen secius interest non nunquam vel maxime, earum rerum omnium justum scire verumque pretium, vt scilicet legitimae v. g. portionis quantitas eo certius possit definiri. Qua vero ratione indagandum explorandumque illud est? Vix aliter hoc expediri potest, quam per taxationem earum omnium rerum ab artis peritis, absque venditione tamen, bona fide factam, atque, si id opus esse videtur, jure jurando firmatam.

§. XI.

u) 1. 9. §. 5. sqq. D. de Administrat. & pericul. tutor.

§. XI.

Vtrum Executores, quae dicta sunt hacenus, inconsultis heredibus expedire possint?

Quae hacenus exposui, primae lineae sunt eorum, quae ab executoribus ultimarum voluntatum quoad configurationem rerum hereditiarum, earum distinctionem administrationemque obseruanda sunt, atque abirem jam ab hac parte, nisi intercederet quaestio nobilis & aspera, scilicet, an permittenda sit haec bonorum hereditariorum consignatio, administratio, separatio, distractio atque venditio executoribus solis, inconsultis iis, qui sunt defuncti testatoris heredes? & erit omnino pretium opera de ea paullo accuratius differere; nec enim vereor, ne fastidium pariat longior ejus rei disceptatio; nam longa non est, quam res ipsa desiderat. Vix autem opus est, admoneri, executorem in quaestione proposita sub-intelligendum esse cum libera. Quodsi enim ipse testator ultimae suae voluntatis executionem commiserit executoribus quidem, sed ita, ut eam non, nisi ex consilio heredum expediant, frustra quaeritur, vtrum executores inconsultis heredibus, quae peragenda sunt, peragere & expedire possint. Ut autem in quaestione proposita, quam inuestigari & nosci interest omnino jurisprudentiae, omnia eo clariora fiant certioraque, sciendum, heredes non viuis omnes esse conditionis, atque alios esse voluntarios, necessarios alios. Voluntarii nullo jure cogente, sed ex libera omnino testatoris voluntate heredes scribuntur. Qui itaque testator eos instituit heredes, quos absque omni periculo plane potuisse non scribere, ille etiam his suis heredibus hodie hanc potest dare legem, vt ne ipsi hanc hereditatem sumant sibi & arrogant, sed potius eam per manus veluti executorum accipiant, vtque administrationi distributionique rerum hereditariorum se non immisceant, sed istud potius negotium vnice relinquant iis, quibus illud testator in ultima sua voluntate commisit. Neque etiam opus est, vt testator, ejusmodi legem qui scripsit, expressis omnia verbis, ita, vti dixi, in testamento suo nominatum exprimat.

F

Suffi-

Sufficit, eum, praeter heredem in testamento scriptum voluntarium, nominasse executorem, eique liberam dedisse potestate, expediendi omnia ea, quae expedienda sunt, si ultima illius voluntas exitum habere debeat. Etenim ejusmodi ultimarum voluntatum executores tantum abest, ut absolutae sint necessitatibus, ut potius testamentum subsistere exitumque possit habere, in quo nullus plane dictus est in specie executor. Jura namque nostra heredibus institutis id expresse dant negotii, ut legem ab testatore scriptam, quantum fieri potest, alimpleant^{x)}. Quodsi itaque testator, praeter heredem institutum, executorem scriperit eique liberam dedetur potestatem, expediendi ea omnia, quae post mortem suam se velle fieri declaravit, juri quasi suo, pro se suoque testamento ejusque validitate per leges ciuiles introducto, vel taceite renunciasse, atque heredem scriptum ab administratione rerum hereditiarum earumque distributione vel prorsus remouisse, censendus est. Sed relictis voluntariis, de quibus quantum satis, transimus ad heredes necessarios, i. e. eos, qui ex necessitate juris, siltim quoad portionem legitimam, heredes instituendi, aut ex causa justa legibusque expressa nominatione sunt exheredandi, adeo, ut, si neutrum eorum fuerit factum, testamentum, tanquam inofficium rescindatur. Haec autem legitima debetur descendantibus testatoris, his deficientibus, illius adscendentibus, atque tandem collateralibus quoque, secundum Jura ciuilia, fratribus tantum sororibusque, neque simpliciter, sed eo casu, si turpis eis persona leuisque notae macula laborans praefferatur^{y)}, atque initio indistincte fuit quarta portionis ab intestato debitate^{z)}, at postea, pro numero personarum, modo triens, si quatuor vel pauciores, modo semis, si quinque vel plures essent^{a)}. Sed tantum abest; ut haec Juris Justiniane dispositio hodie vbiique vim

x) l. 149. l. 193. D. de Reg. Jur.
l. 8 D. de Adquirend. vel omit.
heredit. §. 5. J. de Oblig. quae
quasi ex contract.

y) Novell. CXV. Cap. 3. & 4.
z) §. vlt. J. de Inoffic. Testament.
a) Novel. XVIII. Cap. I.

vim legis auctoratemque sit consecuta, vt potius multorum locorum patrii mores juraque domestica ab ea vel maxime recedant. Etenim, vt alia taceam, Gedani praeter descendentes & adscendentibus non fratribus tantum sororibusque, sed potius ob priuilegium Juris caduci Joannis Casimiri, Poloniarum Regis, de anno 1660. b), collateralibus quibuscumque ad gradum vsque octauum, his autem deficentibus Fifco ciuitatis haec legitima hereditatis portio necessario est relinquenda. Praeterea his in terris quantitas hujus portionis legitimae non est vel triens, vel semis, pro numero personarum, sed potius, quod descendentes atinet, dodrans, quantum ad adscendentibus autem & collaterales, quadrans c) Ii itaque omnes, quibus haec debetur legitima, necessario heredes sunt instituendi, saltim quoad legitimam, si minus, ex causa justa, legitima, atque in testamento expressa exheredandi. Quae autem sit justa & legitima exheredationis causa, aliunde satis constat d). Jura tamen nostra Gedanensis etiam hac ex parte recedunt ab jure communi, atque haec vnicam tantum exheredationis causam legitimam verbis expressis agnoscunt, si, scilicet, liberi insciis vel iniuitis parentibus sponsalia celebrant, & per benedictionem sacerdotalem copulamque carnalem consummarint e), quoad reliquas exheredationis causas autem nihil desinunt, sed, virum, quae facta est exheredatio, justa sit, nec ne? id vnicce Amplissimorum vrbis nostrae Dicasteriorum decisioni relinquunt f). Tantis autem in Jure nostro hujus legitimae portionis, de qua haec tenus, est fauor, vt ea non tantum his, quibus debetur, titulo honorabili & institutionis sit relinquenda g), sed vt ea absque omni etiam

F 2 onere

b) Vid. Illustr. Daniel Gralath ad d) Novel. CXV. Cap. 3. & 4. Nov. Beckeri Vnterricht von der vel. XXII. Cap. 47.
Computatione Graduum &c. e) Vid. Die neue Danziger Will-
Cap. V. §. 21. pag. 123. kühr Part. I. Cap. II. Art. 4. pag.
§. 5. & 6.

c) Vid. Die neue Danziger Will-
kühr Part. II. Cap. VI. Art. 4. §.
2. 3. pag. 101. 2. f) loc. cit. Part. II. Cap. VI. Art. 4.
§. 4. pag. 102.

g) Novel. CXV. Cap. 3. 4.

onere sit relinquenda heredibus h), adeo, vt, quod fortassis adjectum est ab testatore, onus tollatur propterea & pro non adjecto, pro non scripto habeatur i). Quae cum ita sint, cum dilpositio testatoris, qua ultimae suae voluntatis executoribus configratio, administratio, distractio, venditio, distributioque bonorum hereditariorum, inconsultis iis, qui illius sunt heredes necessarii, permittitur, sit onus legitimae portioni adjectum, quod jura nostra fieri vetant, quamdiu deest aliud decidendi principium, ex analogia Juris civilis Romanii existimo, neque testatorem heredes sivos legitimos & necessarios ab administratione bonorum hereditariorum similiiter remouere, neque executores ultimarum voluntatum in seipsis & inconsultis heredibus necessariis administrationem istam expedire posse, nisi quorundam locorum moribus aliud expresse sit receptum. Ceterum tamen, cum fieri possit, vt, qui sint heredes proximi legitimi, propterea ignoretur, his nostris praeferunt in terris, vbi ista legitima hereditatis portio collateralibus usque ad gradum octauum debetur, atque nihil fecius tamen ultima testatoris voluntas exequenda sit, negare nolo, istam ante dictam regulam per Parciam Juris Germanici: *Noth hat kein Gebot,* omnino pati exceptionem. Deinde, quamvis directe heredes legitimi & necessarii ab administratione hereditatis, vti mihi videtur, non possint remoueri, quia ejusmodi testatoris dispositio est onus legitimae portioni adiectum, per indirectum tamen ab ea possunt excludi, ex cautele scilicet Socini, vt puta, si testator heredi suo, cui debetur legitima, plus relinquit, quam jura nostra praescribunt, hac tamen lege, vt hereditatis administrationi distributionique se non immisceat, sed ea omnia executoribus expedienda relinquit, eius cautelae effectus est, vt heres, cum renuit parere voluntati

h) I. 32. C. de Inofficio. Testamento. Nov. XVIII. Cap. 3. addit. Joan. Heinr. de Berger Oecón. Jur. Libr. II. Tit. IV. §. XV. not. 9. pag. 376. 77.

i) Vid. Luder. Menkenii Synopsis Pandect. Libr. V. Tit. II. §. 15. pag. 181.

voluntati testatoris, in sola legitima pure institutus esse intellegatur.

§. XII.

Diuisio rerum hereditiarum quemadmodum fiat?

Declarata sententia nostra de quaestione difficulti, vtrum, qui constitutus est ultimae voluntatis executor, omnia solus, insciis & inconsultis iis, qui sunt defuncti testatoris heredes, expedire possit, ordinis ratio eo nos ducere videtur, vt disceptemus, quid tandem quoad rerum hereditiarum diuisiōnem, ultimaeque voluntatis executionem ipsam jura nostra ab executoribus fieri velint & obseruari. Antequam nempe ultimae voluntatis executor res hereditarias heredes inter & legatarios distribuere potest, necesse est, vt omne, quod fortassis defunctus testator contraxit, aes alienum dissoluatur, idque vel ideo, quia, antequam hoc fuerit factum, ipsa hereditatis conditio ejusque quantitas non potest definiri; bona enim non intelliguntur, nisi deducto omni aere alieno. Quodsi nullum prorsus adsit aes alienum, aut, quae adfuerunt, nomina sint expuncta omnia, ipsa jam sequitur hereditatis diuisio; quae tamen non tantum secundum legem ab testatore praescriptam, sed praeterea etiam ita semper peragenda est, vt totus exhauiatur as hereditarius, peractaque ea, vt ne quid ex eo amplius superfit. Primus autem, cui p̄e ceteris omnibus, quod ipsi debetur, soluere debet ultimae voluntatis executor, est heres, qui, vti alio loco diximus, vel voluntarius est, vel necessarius. Quemadmodum autem voluntarius heres ex libera testatoris voluntate instituitur, ita etiam testator, dum instituit heredem, quem absque omni periculo proflus non instituere poterat, huic suo heredi in thesi relinquere potest, quidquid vult. Sed tamen, cum hac testandi libertate saepe olim abutentur testatores, in primis hereditatem legatis exhauiendo, vt instituto heredi nullum, aut saltim minimum relinquenteretur lucrum, eamque ob causam saepe testamenta desituerentur; studio voluntatum ultimorum seruandarum necessarium visum est, ea de re legibus prouidere. Lata proinde est lex Falcidia,

F 3

eaque

eaque cautum, ut quadrans integer apud heredem maneret, & quaecunque testator ultra dodrantem praestari voluisse, minuerentur k). Atque vi hujus legis etiam hodie oportet heredem voluntarium quartam bonorum saluam habere, & si eam saluam non habeat, tantum cuique legatiorum pro rata detrahi debet, quantum quartae deest. Sed his nostris in terris extranei raro, immo nunquam, ab testatoribus heredes scribuntur, & si cui quis bonorum suorum partem aliquam post mortem suam relinquere velit, fit hoc per modum legati. Quare, missis heredibus voluntariis, ad necessarios progrediuntur. Sunt autem necessarii heredes, id quod aliunde constat, ii, qui ex necessitate juris, saltim quoad legitimam, heredes scribendi, aut nominativum & ex justa causa, in testamento expressa, exheredandi sunt. Si sint exheredati, nec adquiescent in voluntate testatoris, sed impugnent testamentum, ejusque petant rescissionem per querelam inofficiosi testamenti intra tempus lege definitum, Jure ciuili, intra spatum quinquennii a tempore aditae hereditatis l), Jure vero nostro Gedanensi intra spatum vnius anni, sex septimanarum triumque dierum a die publicationis m), victoriarnque tandem reportant; legitima hereditatis portio, quam ex causa non iusta denegarat testator, vtrique ab ultimae voluntatis executoribus iis est soluenda. Sed unde? Qui in testamento scripti sunt ab testatore heredes legitimis cum exheredatis vel vnius ejusdemque sunt gradus, vel his sunt remotiores. Sin prius, legitima, quae ex voluntate testatoris solis institutis heredibus erat exsoluenda, jam inter hos & injuste exheredatos diuidenda est in capita. Sin posterius, legitima jam non est soluenda iis, qui in testamento sunt scripti heredes, sed potius his, qui ab testatore injuste sunt exheredati, eamque ob causam testamentum illius tanquam inofficiosum resciderunt. Ceterum tamen

k) Conf. Joan. Aug. Bachii Dissert. de His, quae imputantur in Quartam Fiduciarii, §. 2. pag. f.

l) I. 8. §. vlt. D. I. 36. §. 2. C. In offic. Testam.
m) Vid. Die neue Danzig. Willkürt, Part. II. Cap. VI. Art. 15. p. 106.

tamen Jure quoque Gedanensi, testamentum, quod per querelam inofficiosi rescinditur, non prorsus corruit, sed rescinditur tantum quoad heredis institutionem, legata vero ceteraque illius capita falsa manent. Etenim: *Wann in einen Testament, inquit Ius nostrum Gedanense n) die Legitima verletzt, oder gar entzogen werden, so kann dasselbe zwar angefochten werden, aber es wird darum nicht vernichtet, denn es soll in solchen Fall die Legitima aus den Legatis nach Proportion ergaenzet, vnd denen rechtmaessigen Erben ihr Mustheil ungekraenkt ausgegeben werden.* Quid autem, si testator institutis heredibus plus, quam ad legitimam pertinet, reliquerit, aliosque cognatorum suorum, quamvis propinquiores, sed injuste, exheredarit, qui deinde testamentum tamquam inofficium impugnant, quid, inquam, accipiunt hi injuste exhereditati, rescisso, mediante querela inofficiosi, testamento? legitimam tantum, an vero praeterea etiam istud plus, quam ad legitimam pertinet, institutis in testamento heredibus ab testatore relictum? Secundum Jura Justiniane o) per querelam inofficiosi rescinditor testamentum quoad totam heredis institutionem; qui itaque heredes scripti sunt nihil prorsus accipiunt, atque non tantum legitimam, vtpote quae ipsis non debetur, non accipiunt, sed perdunt etiam omne id, quod praeter legitimam iis est relictum, nisi hoc sub titulo praelegati iis sit relictum. Vtrum vero ista Juris civilis dispositio his in terris vim legis auctoritatemque habeat, id equidem vehementer dubito; existimo potius, sine distinctione, siue id, quod legitimam exceedit, heredibus, in testamento scriptis, tanquam praelegatum sit relictum, siue sub titulo honorabili heredis institutionis, proximiorem, sed injuste exheredatum, cognatum, rescisso per querelam inofficiosi testamento, nil, nisi legitimam solam accipere, reliqua vero omnia, quae praeter legitimam heredibus institutis sunt ab testatore relicta, iis tanquam praelegatum esse relinqua. Atque ita ego existimo, vt alia faceam, ob verba,

n) loc. cit. Part. II. Cap. VI. Art. o) Nouell. CXV. Cap. 3. & 4. in
15. p. 106. fine.

ba, potissimum posteriora, Juris nostri Gedanensis, paullo ante adducta. Sed de exheredatis, quantum satis. Institutos in testamento heredes necessarios quod attinet; habent ii legitimi, quae ipsis debetur, ex judicio ipsius testatoris falso, vel non. Si posterior, cum legitima aequo minus ex parte, quam ex toto iis, quibus debetur, possit denegari, quod deest legitimae, debet suppleri, atque pro rata legatariis decrescit. Ceterum huc omnino pertinere videntur, quae tradit Samuel Stryckius p): *Si pater filium, vel testator qui-cunque heredem quemcunque necessarium, instituit in certa quantitate summan legitimae adimplente, filius non potest ex aliis corporibus hereditatis illam legitimam petere. Semper enim optimum consilium pro filio pater capere praesumitur.*

Sic etiam, si relicta sit legitima in certis bonis, & liberi, illa non sufficere, dicant, sed adhuc grauamen sentiant, res dependet ab aestimatione a peritis iussu magistratus facta. Quamus negare nolim, si ex Jure ciuili aestimentur haec ab beato Stryckio ab initio tradita, non deesse, quae aduersus ea possint disputationi, prout ex Benedicto Carpzouio q) atque Joanne Heinrico de Berger r) intelligimus. Hereditibus postquam factum, sequuntur legatarii ceterique omnes, quibus testator in testamento suo quid legavit. Antequam vero, quid cuique legatum, solui potest ab executoribus, inquirendum omnino, utrum id, quod ex ase hereditario superest, sufficiat ad singula legata in testamento scripta praestanda, nec ne? Si, quae superfluit, bona non sufficiant, quae deest, summa singulis legatis pro rata decrescit. Quodsi vero non sufficiant tantum, verum etiam plura superfluit bona, quam ad exsolutionem singulorum legatorum requiruntur, id, quod reliquum est, ei, cui testator hoc residuum in specie adsignauit, & si nemini sit adsignatum, heredi instituto soluendum est. Semper enim ita faci-

- p) De Cautelis Testam. Cap. XVII. r) In Oecon. Jur. Libr. II. Tit. IV.
Membr. II. §. 12. pag. 638. §. XV. not. 9. pag. 376. 77.
q) Decision: 266. pag. 574. 75.

facienda est hereditatis diuisio, vt totus exhauriatur hereditarius as. Ceterum silentio praeterire non possumus duplitem Juris nostri Gedanensis nouissimi legem, validitatem legatorum quibusdam in casibus tuentem, dignamque propterea cuius ipsa verba hoc loco adscribantur, vtpote quae ab executoribus vltimarum voluntatum his in terris ignorari minime debent. Vna est: s) Wenn der Legatarius eber, als die testirende Person mit Tode abgehet, vnd diese haette weder in ihrem Testamente ausdrücklich verordnet, noch nachher durch ein Additamentum Testamenti verfuget, daß auf den Todesfall des Legatarii, dessen Erben das Legatum haben vnd geniesen sollten, noch sonst jemand anders dem Legatario substituiret; so kehret dasselbe zur Masse der Verlassenschaft des Testatoris seinen Erben zu gut zuruecke. Waeren aber verschiedenen Personen gewisse Summen zusammen vermaechtet, vnd dabey nicht ausdrücklich verordnet worden, daß die Erben eines verstorbenen Legatarii desselben Anteil haben sollten, so faellet eines solchen Legatarii Portion denen andern Legatariis jure accrescendi zu. Altera autem est: t) Waere die testirende Person zwar vor dem Legatario verstorben, dieser aber gienge mit Tode ab, eb: das Testament, in welchen er bedacht worden, eröffnet ist, so kehret das Vermaechtniß, welches ihm bestimmt worden, nicht zur Verlassenschaft des Testatoris zurück, noch accresciret denen Mit-Legatariis, kommt auch nicht demjenigen, der dem Legatario im Testamente substituirt ist, zu gut, sondern des Legatarii Erben erlangen jure successionis dasjenige so ihrem Erblasser, dem Legatario vermaecht war. Cetera vero omnia, quae fortassis ab vltimarum voluntatum executoribus quoad solutionem legatorum obseruanda sunt, quoties deficiunt jura patria, in dubio secundum jura ciuilia, in subsidium recepta, aestiunanda sunt & dijudicanda.

G

§. XIII.

s) Vid. Die neue Danziger Will-kühr Part. II. Cap. VI. Art. 17. pag. 107. t) loc. cit. Cap. 14. pag. 107.

§. XIII.

*De Rationibus reddendis & Actionibus occasione hujus negotii
competentibus.*

Vltimarum voluntatum executores autem neque hereditibus hereditatem, neque legatariis, ceterisque omnibus, quibus quid ex hac defuncti hereditate debetur, legata, aut quae praeterea debentur, soluere debent, nisi praestita aposta, qua testantur singuli, quibus quid solutum est, satisfactum sibi esse ab executoribus. Ipsi vero executores, vt constet, se legitime, fideliter & diligenter executos esse omnia, quae sibi commissa erant negotia, atque ubique bonorum virorum patrumque familias bonorum officio esse functos, rationes gestae administrationis, toriusque negotii reddere debent. Sed cui? Principaliter heredibus in testamento scriptis, nonnunquam tamen ipsis etiam legatariis, scilicet, si eorum specialiter interest, v. g. si cui legatariorum non res singularis, aut certa pecuniae summa, sed id, quod reliquum erit exesse hereditario, sit legatum, aut legata non integra legatariis solui possint. Quemadmodum itaque tutor curatorue, qui nullas, tutelae judicio, qui vero improbe compositas reddit rationes, actione de rationibus distrahendis in ordinem potest cogi u), ita nullum est dubium, quin & executores, qui nullas, aut improbe compositas redundunt rationes, eodem modo conueniri possint ab heredibus, ceterisque, quorum interest. Similiter, si appareat, executores vel dolo malo, vel culpa lata & leui non satisfecisse officio sibi demandato, damnaque dedisse, ad restituenda ea possunt compelli actione vel tutelae, vel negotiorum gestorum, vel mandati directa, ut ille ad hoc negotium applicara. Quamuis enim mandatarii Jure ciuili ipsam adeo culpani leuissimam praestare teneantur x) vix vnuquam tamen in praxi hodie leuissimae culpae praestatio alicui solet injungi

u) Vid. Tit. D. de Tutel. & Ration. x) I. 13. & 21. C. Mandat. vel. distr. contr.

injungi y). Si quae vero executores mandati negotii exequendis gratia bona fide fecerunt impendia, etiam si testator iis reliquerit honorarium sat amplum, nisi in specie dixerit, factum id esse abs se in compensationem faciendorum impendiorum, repetere omnino possunt omnes istas impensas, atque, nisi ipsis alio modo satisfieri possit, ipsa adeo actione contraria vel tutelae, vel mandati, vel negotiorum gestorum hanc petere possunt indemnitas praestationem. Fere oblitus eram, ultimarum voluntatum executores negotium fibi commissum justo tempore debitoque ad finem perducere debere. Hoc autem temporis spatium, intra quod omnia peragenda sunt, vel ab ipso testatore definitum atque praescriptum est, vel non. Si prius, ultima testatoris voluntas pro lege est obseruanda; sin posterius, inquirendum, utrum Jura cujuscunque loci statutaria hac de re quid praescribant; quod si factum non sit, temporis spatium ex aequitate, atque, si id opus esse videtur, auctoritate judicis definiendum est. His nostris in terris dijudicanda fortassis erit ea res ex lege Juris nostri Gedanensis novissimi in genere de excusanda familia lata his verbis:

z) Welch Mann oder Frau solchen Erben, welche nicht der verstorbenen Person leibliche Kinder sind, Schicht und Theilung zu ihun schuldig ist, soll solche Theilung, wenn die Erben biesige Burger, Burgerkinder, oder Einwohner sind, in den ersten Viertel Jahr nach der Erblassenden Person Absterben leisten, wo solches die Vinstaende der Verlassenschaft verstatten. Laege aber die Verlassenschaft an verschiedenen Orten, so soll der Schichtgebenden Person eine Halbjährige Frist gelassen werden, welche auch auf Erkenntniß der E. Gerichte nach Bewandtniß verlaengert werden kann. Diejenige Schicht und Theilung aber, so Fremden und Auswaertigen (welche sich vorher all-

G 2 bier

y) Vid. Christian. Thomasii Dissertation. de usu pratico doctrinae J. R. de culparum praestatione in contractibus. Item Ejusd. Notae ad Pandect. Libr. XIII. Tit.

VI. §. VI. p. 168. 69. 70.
z) Vid. Die neue Danziger Willkürr Part. II. Cap. VI. Att. 19, pag. 107. 8.

hier müssen einsinnen lassen) zu thun sind, sollen in dem Ersten Jahr nach der Erbläffenden Person Absterben geleistet werden. wobei jedoch die Verkürzung oder Verlängerung dieser Frist auf Erkenntniß der E. Gerichte nach Bewandniß der Umstände ankommen wird. Ad istam igitur quæstionem, intra quod tempus vltimae voluntatis executio sit expedienda, si testator ea de re nihil disponuerit, hæc Juris nostri Gedanensis verba sufficiunt quasi commentarium, nec quaeres fortassis aptiorum aut pleniorem.

DEFENSORI DISSERTATIONIS

POLITISSIMO

S. P. D.

PRAESES.

Incluta nostra atque florentissima res publica Gedanensis præter alias multas præclaras Juris patrii reliquias hanc quoque seruat consuetudinem, ut vltimarum, quae scribuntur, voluntatum executio, non tam heredibus, in testamento scriptis, relinquatur, sed potius ab executoribus quam frequentissime certis quibusdam executoribus committatur. Interest itaque & jurisprudentiae & reipublicae, principia doctrinae de executoribus vltimarum voluntatum vtilissimæ, omnemque illius ambitum ex arte scire & intelligere. At nihil feci tamen iste Juris hodierni locus ex eorum numero est, qui non tam in scholis Jætorum docentur, quam vsu potius & consuetudine fori addiscuntur. Cum itaque *Praenobilissimum atque Amplissimum primariae ciuitatis Dicasterium* anno superiori Te, Respondens politissime, dignum existimauerit, cui ad prosequenda studia annum stipendium persolueretur, eamque ob causam publicum abs Te diligentiae Tuæ, Tuorumque profectuum edendum sit specimen; ista his præsertim in terris adeo necessaria doctrina præ ceteris digna mihi visa est, quam cum cura edolarem, cujusque prima principia hoc in libello ita,

ita, si fieri possit, explicarem, vt periculum facerem, utrum ex iis artem facere possem. Instat dies, defensioni hujus Dissertationis, quam in Te suscepisti, dictus, atque spero, *Patronis & Promotoribus* Tuis studiorum ingenique Tui vim publice Te probaturum esse. Quare nihil mihi reliquum est, nisi, vt Tibi de laude certissima ex animo gratuler. Ceterum, quemadmodum spero, fore, vt, quod hucusque in litteris & scientia Juris collocasti studium, nunquam deponas, aut intermittas, ita hoc Tibi confirmo, me, si, quod opto cupioque quam maxime, digna aliquando diligentiae Tuae doctrinaeque consecutus fueris praemia, omniaque Tibi fausta euenerint, summae animi laetitiam percepturum esse. Vale. Scribebam Gedani die 1. Junii A. R. S. clo Io c c LXII.

Eam jam, *Amice*, operae Tuae huendum in Athenaeo nostro litterarum studiis dicatae, imponis coronidem, vt, quos habueris in iisdem progressus, publica hujus dissertationis defensione ostendas. Gratiaror Tibi id opus ex animo. Ab aduersarii partibus, quas mihi tradidisti, stabo, quantum pro ingenii leuitate potero. Ceterum Tibi felix in academiam iter, omnium, quae suscipis, ad voluntatem successum, ac prosperrimam valetudinem precor; Teque simul, ut amicitiae Tuae commendatum me habeas, rogo.

C. B. Jantzen,
Ged. Opp.

Juuenis politissime!

Ex quo Tui copiam mihi fecisti coniunctus ipse cum aliis credere coepi, studia conatuum cancellis, egregio Tu ex emplo claudenda non esse, progrediendum imo vero etiam, atque praestandum, ut laboris adhibiti, quales quantue sint fructus

● ● ●

fructus adpareat; gratulandi ergo argumentum suppeditas vel
inuitus, hocque tanto promptius vtor, quanto ium certior,
Te ad oras peregrinas discedentem, ita acerum omnia, tan-
quam spectet aliquis, siue Cato ille sit, aut Scipio.

Christianus Zwantziger.

Opp.

Amice suauissime

Gratulor Tibi publicum eruditionis diligentiaeque Tuae spe-
cimen exhibenti. Voluisti, ut mea contra hanc dissertatio-
nem publice darem dubia. Ego quidem vires meas ad pro-
vinciam bene gerendam infirmas sane perspicio, ast, ne in offi-
ciis amico praestandis admodum difficultis videar, munus ad-
uersarii oblatum accipio, & victoram Tuam reportandam au-
gebo. Summum Numen Tibi studiisque Tuis fauet, cœ-
ptisque largiatur Tuis euentum prosperrimum. Vale & noli
dememinisse mei.

J. G. Scheffler.

Ged. Opp.



VD
18

ULB Halle
002 713 802




3

SL,



Farbkarte #13

B.I.G.



XERCITATIO JVRIS
DE
TORIBVS VLTIMARVM
VOLVNTATVM *1762, 1.*
P R A E S I D E
NO GOTTLIEB PAVLI
ET HIST. PROF. PVBL. ORD. ET ATHEN. INSPECT.
E XXII. JVNII A. R. S. MDCCCLXII
AVDITORIO MAXIMO
DISCEPTANDVM PROPOSITA
AB
GOTTLIEB BERNIS, GEDAN.
L. L. C.
GEDANI
HOMAE JOANNIS SCHREIBERI, SENATVS
ACADEM. GYMNASII TYPOGRAPHI.